

VITT. EMANUELE


BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
8 M
27

# GASPARIS GABRIELII PATAVINI

*IN QVÆSTIONEM*

# HIERONYMI BONIPERTI NOVARIENSIS

*DE MATERIÆ IMMINVtione in principio Morbi,* DISSOLVTIONES.

*Eiusdem*

DE TOTIVS EVACVANDÆ MATERIÆ

*Ratione, Perbreuis Explicatio.*

INVIDIA

FORTITVDINE



SVPERATVR.





NON SINE PRIVILEGIO.

## HIPPOLYTI FANTOTII
### Delphici Perusini Hexasticon,
### Ad Lectorem.

*Quæritur a medicis, Nun dentur pharmaca, Morbi*
*Principio, Crudæ tempore materiæ:*
*Lis mira insurgit, Quam Gaspar diluit acri*
*Iuditio, oppositos soluit & arte locos.*
*Arte igitur nosces, quantum Gabrielia uirtus*
*Præstet Apollinea: Perlege Lector opus.*

quibus, quum natura ad expulsionem irritetur, & naturam habeamus opitulantem, donec agitantur, secundum eorum motum (ut dictum est) euacuationem fieri expedit.

Tertia etiam eius ratio, eodem modo, recte soluta est: tamen adhuc dico, falsum esse, quod si humores furiosi huc, atque illuc defluentes, medicamentis purgantibus, in morborum principijs, euacuandi sunt, multo magis illi sint eisdem purgantibus medicamentis in morborũ principijs euacuandi, qui adeo aucti sunt, ut omnes fere corporis partes, absque alio motu occupant: quoniam praeter id, quod non tantum Hippocrates & Galenus, sed et Auicēna, & oēs fere medicinae doctores, uno omnium consensu, exclamant, humores in corpore quiescentes, nunquã purgantibus medicamentis euacuandos esse, prius quàm concoctionem adepti sint: habemus etiam infinitas uias, ac uaria ingenia, quibus materiam quiescentem per totum corpus dispersam, & securius, & cõmodius euacuare possimus, quàm cum purgantibus medicamentis, ex quibus (ut dictum est saepius) talia, ac tanta oriuntur incõmoda: Secus autem est in humoribus furiosis, qui secundum omnium medicinae doctorum sententiam, & quoniam naturam irritant, & uersus loca excretionis mouentur, secundum eorum motum tantum, protinus euacuari debent.

Ad Vltimam uero dico, falsissimum esse, medicum quempiam bonorum doctorũ sectatorem inueniri, qui in cõmuni usu habeat, purgantia medicamenta exhibere, nulla existente humorum concoctione: Nam optimi medici officium est, ita

*operari, ut morbis prosit, aut nequid noceat: Hoc autem fieri nequit, existentibus humoribus omnino crudis, quum ex eis, non sanitas, sed acrisia, dolores, morbi diuturnitas, recidiuae, ac demum mors eueniat, si & experientiae, & optimis medicinae doctoribus credendum est.*

*Ad probationem autem, qua utitur, quod scilicet pilulas mastichinas, de Hiera cum Agarico, de tribus cum Reubarbaro, Interdũ etiam Cochias, & aureas, & id genus alias quotidie exhibeant, nullo prorsus syrupo, aut alio concoquente medicamento prius dato; Dico, quod si aliquando (licet raro quidem) huiusmodi medicamenta exhibeantur, nullo prorsus (ut inquit) syrupo, aut alio concoquente medicamento dato, illud profecto non agitur, (ut ipse existimat) in curatione alicuius morbi, nec ad euacuandam materiam aliquam facientem morbum, (non apparentibus praesertim concoctionis signis,) sed in uniuersali potius totius corporis euacuatione, ubi praesertim in urina signa aliqua concoctionis apparuerint.*

*Quod uero in febrium putridarum etiam principijs exhibeatur casia, Id autem iure optimo fieri dico, quando in urina concoctionis aliquod signum appareat: Vnde eo casu, non euacuatur materia cruda, sed tantum pars ea modica, quae concocta est: Iccirco minorem iam factam materiam natura facilius concoquit, & excernit. Quod si omnimodae cruditatis signa sese offerant, minime unquam a peritis medicis administrabitur, nec casia, nec aliud huiusmodi, licet etiam talia medicamenta leniendo, non autem attrahendo humores euacuent,*

& adeo lenem, ac per exiguam uim humores educendi fer-tur, ut minime inter purgantia medicamenta possint enumera-ri: Quemadmodum optime notauit & Actuarius, & Aui-cenna, qui prægnantibus etiam eam concedendam fatentur, concocta tamen prius materia, non autem omnino existente cruda. Quapropter non est dicendum, quod cõmittatur error, si in principio putridarum febrium exhibeatur aliquando cas-sia, aut aliquod huiusmodi leniens medicamentum pro minoran da materia; quoniam exhibetur tantum, quando signa aliqua concoctionis apparuerint (ut dictum est,) nunquã uero crudis omnino existentibus humoribus, ut ipse existimat.

Vt tandem igitur finem faciam, Dico satis ex harum argumentationum confutationibus constare, rationes ab eo al-latas minime ualere, & per consequens falsum esse, quod liceat humores non concoctos, neque furiosos, sed multitudine, ac ma la etiam qualitate peccantes, inter morborum initia, cum pur-gante medicamento, minuere.

Habes igitur Vir Magnifice harum argumentationum clarissimas, & tam apertas ex Hippocrate & Galeno con-futationes, ut ex hijs animum tuum facile (si quid unquã dubij impressum fuerat) explicare possis. Et ut tibi totius euacuan-dæ materiæ negotium, in summam, ueluti in fasciculum redi-gam, ita distinguendum arbitror.

EVacuanda materia, aut morbum facit, aut non: Si ex ea morbus oriatur, aut est furiosa, aut non: Si furiosa est, aut adeo uehementi motu mouetur, ut nullas

*inducias, aut mitius mouetur.*

*Quando igitur materia furiosa ita uehementer mouetur, ut nulla detur facultas eam digerendi, tunc statim, nulla expectata concoctione, medicamentis purgantibus, uel secundum materiæ motum, per loca conferentia educenda est.*

*Quando uero materia furiosa mitius mouetur, & dantur induciæ, propinandum est aliquid, quod humores extenuandi facultatem habeat: postea uero, medicamentis purgantibus, uel secundum materiæ motum, per loca conferentia, si natura integre non euacuauerit, educenda est.*

*Si autem materia non sit furiosa, & morbum faciat, aut est in aliqua corporis parte firmata, & fixa, aut per uniuersum corpus dispersa.*

*Quando igitur materia sit in aliqua corporis parte firma, & fixa, nullo unquam modo mouenda est, ante eius concoctionem.*

*Quando uero per totum corpus sit dispersa, ac disseminata, tunc in principio, per sectionem uenæ, (stantibus conditionibus debitis,) aut per cucurbitulas, per frictiones, per enegmata, per uomitum, per prouocationem urinæ, sudorum, menstruum, hæmorrhoidarũ, aut huiusmodi, secundũ oportunitatem, materia minoranda est. Quod si per hæc non soluatur morbus, facta postea materiæ integra concoctione, tunc medicamentis purgantibus, (si a natura non fuerit perfecte expulsa) uel quo natura repit, per loca conferentia, post morbi statum, est euacuanda.*

Si

# HIERONYMVS OBITIVS LECTORI.



VVM Ferrariæ Gaſpari Gabrielio operam darem: Inter alia multa, quæ ipſum diſputantem audieram, Quæſtio fuit, An in principio morbi, materia non concocta, neque turgente, pharmacũ dare expediat: In qua cognoſcenda multum ſtudii, operæq; poſueram. Cuius ſanè ipſius Gabrielii explicatio mihi vehementer placebat: Interea affertur Venetiis liber impreſſus Excellenti ingenio, & Doctrina præditi Hieronymi Boniperti Nouarienſis medici, in quo de eadem re tractabatur. Quem quũ ſtudioſe legiſſem, vt potè ab homine ſcriptum cui docti homines iure plurimum in arte medica tribuerent, inueni eũ omnino diſſentire ab hiis, Quæ ego ex Gaſpare cognoueram: Quæ quum mecum animo agitarem, ita diſtrahebar animo, Vt quid ſentiendum eſſet in tanta re, & tam ad ſalutem hominũ pertinente, nihil planè haberem. Dedi ad eum literas, rogauiq; vt pro eius humanitate, & amicitia, quæ eſſet inter nos, diligentius de eadem re ſcriberet: Et lecto eo libello quid ſentiret aperte, & libere ad me ſcriberet: Quod fecit non inuitus: Breuiq; poſt tempore, hanc rem ſubtiliſſime explicatam, ad me miſit. Ea quum legiſſem, & cum amicis, & ſtudioſis harum rerum cõmunicaſſem, vnà omnes rogare, inſtare, vrgere cœperunt, vt etiam ſine conſilio Authoris, ad cõmunem omnium vtilitatem, hoc opus in lucem ederem, Quo facilius veritas a ſtudioſis cognoſceretur: Nam cognitis vtriuſque rationibus,

facilius vnusquisq; de re quid statuendū sit, intelliget. Ab hac autem editione ita abhorrebam, vt in hoc vsque tempus distulerim. Sed quum proxime de eadem re inter nos idem sermo incidisset, Contendendo, atq; efflagitando animum meum peruicerunt: Nō potui enim negare diutius tam honesta petentibus, tanq; præclara cupientibus: Nam in quo aliquis posset offendi non videbam, & futuram omnibus vtilitatem perspiciebam. Accipe igitur studiose Lector, & vt studiosum veritatis decet, Eo animo lege, vt ex rationibus ab vtroq; allatis, Quid de hac quæstione sentiendum sit, Iudices: Vale.

## IOANNIS BAPTISTÆ

*Iuliani Crotoniatis, De Gaspare Gabrielio.*

*Sentiat in medica bene quàm Gabrielius arte,*
*Iuditium facile, qui leget ista dabit:*
*Nanq; in principio morbi, (nisi turgeat,) unquàm*
*Materia incocta, pharmaca danda negat.*
*Atque ita in oppositum docte allatas rationes*
*Explicat, & miro Diluit ingenio,*
*Vt quibus auxilijs curet, quoue ordine, morbi*
*Principium, quisq; hinc, noscere aperte queat.*

# MAG. AC NOBILISSIMO HIERONYMO OBITIO VIRTVTVM OMNIVM CVLTORI.

Gaspar Gabrielius. S. D.



*VVM Superioribus annis, dum in Ferrarienſi Gymnaſio publicè medicinam profiterer, Hieronyme Mag. ſemper in publicis lectionibus, in quibus frequens auditor fuiſti, & in priuatis colloquijs, audieris me ſæpius acriter eos improbaſſe medicos, qui nulla expectata, aut præcedente morborum concoctione, neque turgente materia, medicamentis utuntur purgantibus. Quumq; ſuperioribus diebus, forte fortuna (ut ais) in taberna quadam libraria ad manus tuas peruenerit libellus Galeni de Criſibus, hijs proximis diebus ab Excellentiſſimo Hieronymo Bonipetro Nauarenſe medico in latinum uerſus, in cuius calce quæſtio examinatur, cui titulus, An expediat humores nõ concoctos, neque furioſos, ſed multitudine, ac mala etiam qualitate peccantes, inter morborum initia, cum purgante medicamento minorare, Memor ſententiæ meæ, cupiensq; aliorum etiam opiniones intelligere, comparato libello, omnem perlegiſti quæſtionem, eamq; poenitus eſſe ſententiæ meæ contrariam, multisq; rationibus, ac ueluti propugnaculis munitam reperiſti. Quare non parua huius rei, & admiratione, & animi perturbatione affectus, libellũ ad me miſiſti, ro-*

gasticq;,ut & ego eandem legerem,& ea lecta,atque exami-
nata,ad te sententiam meam rescriberem,ut si forte hijs suis
rationibus cōuincerer,mutata priore sententia,hanc tibi etiam
proculdubio tenendam proponerem:aut si in priore adhuc per-
manerem,eam tibi scriptis mandarem,& eius ualidas ratio-
nes dissoluerem, ut facilius,in re tibi tam dubia,animum tuum
explicare posses. Ego uerò mi Hieronyme (etsi multis ac ua-
rijs sim occupatus negotijs, ut non ita facile satis tibi facere
possim, quum tamen tu talis sis,cui neque debeo, nec possum ali
quid negare) non potui,non tuæ parere uoluntati. Ac lecta
uniuersa quæstione, statim arepto calamo,ad te scribere de-
creui,affirmans,absq; ulla dubitatione,eam quam semper do
cui,uerā,ac germanam Hippocratis & Galeni sententiam
esse,neque me hijs suis rationibus posse unquam diuelli, aut cō-
uinci, sed potius confirmari,præcipueq;,quum sæpius iamdu-
dum eædem a me dum legerem dissolutæ fuerint, nam ferè
omnes (ut siquis animaduerterit apertissime uidere poterit)
excerptæ sunt ex Epistola Doctissimi Io. Manardi, Qui
primus omnium hac tempestate, secundum Hippocratis &
Galeni dogmata (ut arbitratus est) in hanc uenit sententiam.
Vt igitur tibi rem gratam faciam, & ne uidear aliquando
falsa docuisse, Dico,atque iterum affirmo,ueram Hippocra
tis sententiam esse,humores crudos, neque turgentes, seu furio
sos, sed multitudine (ut eius uerbis utar) ac mala etiam quali-
tate peccantes,inter morborum initia,cum purgante medica-
mento non esse minuendos, eosq; summopere decipi,ac maximo

*in errore esse, qui ex Hippocratis & Galeni sententia, oppositam partem tenent: Quod facile unicuiq; patere poterit, quum eorum, tum friuolas, tum falsas rationes in medium adductas dissoluero. Postpositis itaque suis in præsentia quarundam rerum declarationibus, Quæ quantũ ualeant, ac stare possint, in posterum a me declarabitur, Deuenio ad argumentum.*

PRIMVM ARGVMENTVM.

PRIMVM Igitur eius Argumentum, quo nititur probare materiam minorem reddendã esse, seu (ut ipse ait) minorandam esse in principiis morborum, uires suas habet ex authoritate Hippocra. secundo Aphorismo. xxix. Quum morbi inchoant, siquid uidetur mouendum, moue, Quum uero consistunt, ac uigent, melius est quietem habere: In quo (inquit) clare dicitur, materiam inter initia morborum esse minorandam, & nõ in statu, quando minoranda est. Eandẽ etiam sententiam uidetur cõprobare authoritate Galeni in eiusdem aphorismi cõmentatione, dicentis, quòd ideo nonnunquàm per venæ sectionem, nonnunquàm per purgationem, inter morborum initia euacuamus, Quo minorem iam factam materiam facilius possit natura concoquere. Et ita perspicuũ est (inquit) q; hic Hippocrates de minoratione materiæ loquatur: Nam quũ duæ reperiantur euacuationes apud medicos, vna quidem eradicatiua, de qua intelligit Hippocrates per verbũ φαρμακεύειν in primo aphoris. xxii. quum dicit, Concocta medicari & mouere, non cruda: similiter etiam in quarto aphorism. i. & x. & in multis aliis locis: Altera uero

minoratiua, de qua intelligit per verbũ κινεῖν in ſupradicto aphoriſ. & in. xxii. Ideo quum verum ſit, quòd non debemus eradicatiue euacuare, niſi quando materia fuerit concocta, aut furioſa, cum hoc tamen ſtat etiam, quòd poſsimus minoratiua euacuatione vti in morborum principiis, materia nõ concocta, neq; turgente, ſicuti manifeſte patet in dicto aphoriſmo, tam ex verbis Hippocratis, quàm Galeni. Quare per, mouere, in vtriſque aphoriſmis adductis, ex omnium conſenſu debemus intelligere minorationem materiæ, & per conſequens fateri, talem minorationem in principiis morborum fieri debere.

Vlterius inquit, nec poteſt intelligi de minoratione materiæ furioſæ, nec de ea, quæ per venæ ſectionem efficitur.
" Primo, qm̃ (inquit) materia furioſa in omni tempore, ac
" ſtatim euacuãda eſt, ſiue quanto citius, quod ex Galeni cõ
" mentariis quarto aphoriſ. x. patet. Quare ſi de ea intellexiſſet Hippocrates, non dixiſſet, in principiis morborũ euacuandam eſſe, quoniam in hoc aphoriſmo loquitur de materia illa, quam nõ licet in ſtatu euacuare, quum dicat, quum
" uero conſiſtunt melius eſt quieſcere, materia autem furioſa
" omni tempore euacuanda eſt, ſiue in ſtatu morbus conſiſtat,
" ſiue non.

" Secundo, quoniam (inquit) nunquã expectanda eſt cõcoctio materiæ furioſæ, ſed per Galenum eodem cõmento euacuatio huius materiæ ſemper fieri debet in principio, ut minorem iam factam materiam facilius poſsit natura concoquere, non ergo de materia furioſa poteſt intelligi.

Tertio (inquit) quoniam non eſt in arte medica reperire aliquem, qui de materiæ furioſæ concoctione loquatur,

quum omnes medicinæ doctores vno omnium consensu fateantur, materiam furiosam nulla eius expectata concoctione, a principio morbi, & quanto citius fieri possit, euacuandam esse: sed per Galenum loco præallegato, & ratione prædicta, expectanda est concoctio huius materiæ, cuius portio in principio euacuatur, ergo nullo pacto potest intelligi de materia furiosa.

Quod autem nō possit intelligi de ea minoratione materiæ, quæ per sanguinis missionem efficitur, hoc argumento affirmat, quoniam adeo est exigua sanguinis copia, quæ hac nostra tempestate per uenæ sectionem educitur, ut minima possit esse in eo humoris noxii quantitas, quæ naturam reddat effatu digno fortiorem supra residuum illud concoquendum, quod in uenis relinquitur: sed bene id ageretur si quispiam duas, tres ue, aut quatuor libras affluētis illius materiæ, inter initia morbi detraxerit, quod alia quidem ratione fieri nequit, præterquàm per medicamenta illa, quæ electiue soluentia sunt.

Quare concludendum est (inquit) si ea ratione a principio morbi materia minoratur, ut eam minorem iam factam facilius possit natura concoquere, quod necesse est, talia dare medicamenta, quæ notabilem aliquam, seu effatu dignam humoris noxii quantitatem educere ualeant, quorum tamen dosis, longe minor esse debeat, quàm quæ post concoctam materiam exhibenda est. Eæ sunt (ni fallor) omnes eius rationes primæ, quibus argumentum hoc suum, ac eius sententiam astruere conatur.

# SOLVTIO.

PRO Solutione autem huius argumentationis, Dico ꝙ salua semper huius Excellentissimi Viri pace, opinio hæc nullo modo stare potest ad mentem Hippocratis & Galeni, & si ita intelligit, ut uidetur exponere duos illos aphorismos. s. Concocta medicari etc. & Inchoantibus morbis etc. præter id ꝙ in infinitos labitur errores, etiam perperam intelligit Hippocratis & Galeni dicta: quod facile quibuscunque patere poterit, qui eorum dicta recte perpenderint, neque ea a pura eorum simplicitate extorserint. Quid enim aliud quæso uoluit Hippocrates in uigesimo illo secundo primi aphorism. quam declarare, quid in uniuersum esset agendum a medico circa uitiosorum humorum euacuationes natura non operante? Nam quum in superioribus duobus continuis aphoris. docuisset, ꝙ quando natu-
» ra ipsa perfecte & integre mouet, nihil penitus esset agendum
» a medico, quia, Quæ iudicãtur, aut iudicata sunt integre, neqꝫ
» mouere, neque nouare aliquid siue medicamento, siue aliter ir-
» ritando, sed sinere: similiter in alio aphoris. dixisset, quid esset agendum, quando natura mouet quidem, sed incõplete, ac dimi
» nute, Quia, Quæ ducere oportet quo maxime natura uergit,
» per loca cõferentia, eò ducere: Quibus declaratis in isto. xxij. aphoris. uolens artificiosæ euacuationis perfectam doctrinam tradere, admonet quid agere debeat medicus, natura nec perfecte, nec imperfecte mouente, docetqꝫ in duobus tantum casi-

bus medicum uti debere medicamentis purgantibus, quando.s. materia concocta est, & quando turget, In alijs uero numquã, præcipue quando materia sit cruda, quiescens, & nõ turgeat, quia tunc maxime abstinendum est a purgantibus medicamentis. Vnde ex hijs tribus iam dictis aphoris. & in tribus sequentibus, in quibus & quantitatem, & qualitatem, & tempus exhibendi medicamenti docet, uniuersam materiæ euacuandæ tractationem persoluit, ut egregie notatur a Galeno in commentatione ultimi aphorismi primæ partic. Propterea non potest intelligi aphoris. xxii. ex uerbo φαρμακεύειν quemadmodum interpretatur ipse, de euacuatione (ut ait) eradicatiua, non autem etiam de minoratiua, si de talibus esset intelligendus, quoniam Galeni dictum esset falsum, quum eo in loco totus sermo de purgationibus non esset absolutus, si de minoratiua euacuatione alibi loqueretur. In alio uero. xxix. secũdæ partic. Quid aliud uoluit Hippocra. nisi nobis id particulariter explicare, quod antea dixerat uniuersaliter, accommodatũ.s. et oportunũ tempus exhibendi præsidia, si exhibẽda uideãtur: Vnde declarat, (ut optime notauit ibi Galenus in cõmento) quod quando sumus usuri medicamentis, aut alijs præsidijs, in morbis illis in quibus futuram speramus salutem, ea præsidia in principio morbi adhibenda sunt, nunquam autem in statu: Huiusmodi aũt præsidia quæ in morborũ principijs administrãda sunt, a Galeno declarãtur in cõmentatione, et ea sunt, potissimũ uenæ sectio, & aliquando pharmaci exhibitio, quando.s. materia turget, iuxta sententiam aphoris. xxiiij. primæ partic. In acutis

paßionibus raro,& in principijs medicinis purgantibus uti: Icciro Galenus dixit,& aliquando pharmaci exhibitio,quoniam raro medicinis purgantibus, utendum est,quoniam materia raro turget:& in cōmentatione illius aphorismi Galenus expresse declarat,nunquam propinandum esse medicamentum purgans in principio morbi, nisi materia turgēte,& alibi etiā sæpius,ut in sermonis progressu clarius ac euidentius demonstrabitur: Quod autem secundum eius sententiam, Hippocratis,& uerba,& sensum extorqueat facile demonstrari potest,nam præter id ꝙ nullibi unquam apud Hippocratem aut Galenum, talis eradicatiua,aut minoratiua purgatio reperiatur, sed tantum ad facilem uirtutis tolerantiam usq;,uel saltem ad patientis tolerantiam, Dico,quod nullo pacto eius expositio potest stare.s.quod per φαρμακεύειν intelligat Hippocrates medicamento eradicante uti,& per κινεῖν materiam pharmaco electiue educente imminuere,quemadmodū interpretatur,nec illud unquam somniauit Hippocrates: Primo enim probo, ꝙ per uerbum φαρμακεύειν non posSit intelligi medicamento eradicatiue purgante uti, nam quæso quis adeo perspicacis ingenij erit,qui,quū aliquid absolute dicatur, puta scribere, aut currere,intelligat multum,aut parū,aut uelociter,aut tarde, scribere,aut currere? nemo profectò,mea quidem sententia,nisi addatur aduerbium,uelociter aut tarde,aut multum aut parum: Pari etiā modo mihi uidetur dicendū de hoc uerbo φαρμακεύειν, de quo ubiq; Galenus,& in cōmento prædicti aphorismi,et in primo quartæ particulæ,& alibi millies,pro purgante medicamento

*camento, apud Hippocratem ſumendum eſſe aſſerit, nunquam autem dicit, intelligendum eſſe pro eradicatiue purgante, aut ualde purgante, ſed pro purgante ſimpliciter, & abſolute, ad differentiam aliarum euacuationum, quæ, uel per uenæ ſectionem, uel per lotium, uel p ſudores, uel per alia id genus fiunt.*

*Immo, Dico, quod apud Hippocratẽ, nullo modo poteſt intelligi tale uerbũ, de medicamento eradicatiue purgante: Nã in ſuperius allegato quartæ partic. aphoriſ. primo, Vbi inquit Hippocr. Vterogerentes ſunt medicandæ, ſi materia turgeat, a quarto menſe uſque ad ſeptimum: Item in decimo eiuſdem, Medicari in ualde acutis, ſi materia turgeat eadem die etc. Non eſt dicendum, in aliquo horum aphoriſmorum intelligere Hippocratẽ, pharmaco eradicatiue purgante uti, tum, in prægnantibus ipſis, quibus non modo, non conueniunt extremæ iſtæ, & eradicatiuæ medicationes, ſed nec multũ ualidæ motiones, ob abortus periculũ, tum, in morbis ualde acutis, in quibus ob morbi ſæuitiem, uires redditæ ſunt debiliores.*

*Hac etiam potiſſimum ratione idem comprobari poteſt: Quia, ſi cõtinuo prohibet Hippocrates & Galenus (ut apertiſſime cõſtat) eradicatiuas, & totales iſtas euacuationes, in morbis, in quibus materia iam concocta eſt, multo magis credendum eſt, tales prohibere, ubi materia non fuerit concocta. Quod aũt hoc ſit uerum, patet ex primo aphoriſmorũ tertio, Habitus exercitatorũ, qui ad ſummũ bonitatis attingunt etc. Vbi in fine ait, ſic & euacuationes, quæ ad extremum deducunt, periculoſæ etc. Galenus in eo cõmento exponens Hippo-*

,, cratis sententiam inquit, & sicuti rursus qui sunt tali natura
,, præditi, non sunt ad extremam euacuationem perducendi, sic
,, & qui quauis alia egent euacuatione, non sunt supra modum
,, euacuandi: Nam ut in uniuersum dixerimus, in omni euacua-
,, tione uires ægroti oportet attendere, & donec tolerat, & non
,, dum laborat, tentandum est humorem exuperantem educere:
,, Quum uero dissoluuntur, etiam si restent superfluitates, caue-
,, re oportet earum euacuationem. Ecce quod Hippocrates &
Galenus detestantur extremam eradicatiuam hanc euacua-
tionem, & ponunt terminum laborantis tolerantiam.
,, Idem uidetur uelle in eodem primo aphoris. xxiij. Deiectio-
,, nes non multitudine sunt æstimandæ, sed si talia deijciantur,
qualia conuenit, & ægri facile tolerant etc. Vbi Galenus in
,, cõmento ait, siue a natura, siue a nobis, euacuatio fiat, semper
,, metiendum est, quantum sit euacuandum: nam sicuti qualitatem
,, humoris noxij euacuandam eligimus, Ita & debitam quanti-
,, tatem euacuare debemus: Qualitatis quidem inditia superius
,, dicta sunt, Vbi aphorismum illum exposuimus, cuius prin-
,, cipium est, In perturbationibus uentris etc. Quantitatis uero
,, nullum habemus inditium: Ob hanc igitur causam, nobis dedit
,, Hippocrates, de eadem quantitate iudicandi uiam, ex facili-
,, tate tolerantiæ etc. Quare luce clarius patet, Hippocratem
& Galenum ponere terminum euacuationis, ex facilitate tole-
rantiæ, non autem ex eradicatione materiæ. Quod si in oppo-
situm dicatur, aliquando contingere, talem eradicatiuam ma-
teriæ euacuationem fieri posse, in corporibus potissimum ro-

bustis cum uirtutis tolerantia: Hoc etsi raro eueniat, Concedatur, non tamen propter hoc dicendum est, Hippocratem & Galenum per huiusmodi uerbum intelligere eradicatiuã hanc, & extremam materiæ euacuationem, tum quia ut in pluribus talis euacuatio, non sine uirtutis prostratione (in corporibus saltem debilioribus, quales sunt ægri) aut cum difficili saltem tolerantia, fieri contingit, quorum utrunque fugiendum est: Tum, quia Hippocratis intentio est, uniuersales tradere regulas, omnibus conuenientes, non autem particulares, quæ tantum robustis corporibus aptentur, non autem etiam debilibus. Ideo non est dicendum, Hippocratem per uerbum φαρμακεύειν, intelligere pharmaco eradicatiue purgante uti, quum ut in paucioribus eueniat, uniuersam euacuari materiam, unico eradicatiue purgante medicamento, cum facili saltem uirtutis tolerantia, potissimumq; in materia non concocta, licet sit furiosa.

Præterea, quod neque in materia concocta uelit Hippocrates, aut Galenus eradicatiuam hanc fieri euacuationem, ex eorum dictis apparet: Nam in sexto aphoris. xxvij. Vbi inquit Hippocrates, Quicunque suppurati, aut aquam intercutem „ patientes uruntur, aut secantur, si pus, aut aqua uniuersim ef- „ fluxerit, omnes moriuntur: Assignans Galenus in cõmento causam, propter quam tales moriantur, quibus confertim uel pus, uel aqua effluxerit, inquit, Nunc Hippocrates consulit euitãdam esse uniuersam euacuationem, uidemus autè (inquit) „ & in alijs partibus æque atque in thorace, quando aliquis ma- „ gnus tumor suppuratur, periculosam esse uniuersam, ac subi- „

» tam euacuationem, quum e uestigio deficiat anima, & uires de
» bilitentur etc. Videtur igitur Galenus, tales euacuationes ex Hippocratis sententia damnare, quia cum uniuersa ista euacuatione puris, aut aquæ, magna etiam spirituum copia euacuatur, ob quorum euacuationem, deficit uirtus, & uita: & tamen pus, & aqua, in morbis illis, & materia noxia est, & etiam concocta, & per consequens esset confertim educenda.

Idem Clarius etiam a Galeno dicitur, in primo artis curatiuæ ad Glauconem cap. xi. Vbi agit de Cura quartanarū,
» inquiens, Etsi concoctionis morbi inditia apparuerint, tunc pur
» gare oportet, hijs, quæ humores atros exinaniendi uim habent,
» non semel tantum, sed pluries, ac sæpius, si fuerit necessarium: Quid Clarius profectò desiderari potest in hac materia? Idem repetit in eodem libro, cap. xiiij. de Curatione febrium cum accidentibus, ubi habet, quod Etsi uehementes uigliæ, aut dolor intensus ægrum infestent, cauendæ sunt subitæ, & multæ euacuationes: Idem sexto Epid. sectio. secunda cōmen. xxxiij.

Sed præter authoritates, ac rationes iam superius adductas, adhuc possum fortissima alia ratione comprobare, quòd existente etiam materia ipsa concocta, non recte possimus, nec sine magno ægrotantium discrimine, tali medicamento eradicatiue purgante uti: Nam inter omnes constat, medicamenta ipsa, suas habere proprias dationes, seu doses, quas si quispiam transgrediatur, proculdubio quàm plurimum nocebit: Sed medicina aliqua, quandoque alicui datur in integra dosi, non tamen uniuersam materiam euacuat; aliquando uero in media, uel non

*completa dosi exhibetur, & tamen totam peccãtem materiam euacuat: quòd si materia uniuersa debeat eradicatiue purgari, necesse igitur erit, aliquando transgredi conuenientem dosim: Quod si detur etiam in sua conueniente dosi, quandoque etiã plusquam conueniat euacuabit: Quorum utrunque maximum est peccatum, & contra medicorum omnium decreta, nec sine magno ægrotantis periculo fieri potest. Propterea Galenus in secundo de ratione uictus in morbis acutis undecimo dicebat,*
*Quibus igitur medicamenta dare conuenit, hijs medicamenti tantum propina, quantum in pluribus mediocriter euacuari, tum nouisti, tum sis expertus: Si enim naturam ægri non noueris, timendum est, ne plus iusto euacues, uel nullo pacto uacuationẽ moueas, aut si moueris, nõ tamen sufficienter uacues etc.* »

*Ex hijs igitur omnibus concludendum est, etiamsi materia sit concocta, aut turgeat, non tamen esse simul, ac confertim, sed paulatim, ac pluribus uicibus (ut ita dicam) si opus fuerit, euacuandam: multoque magis, ubi nec sit concocta, nec turgeat: & per consequens fatendum est, non esse intelligendum illud uerbum φαρμακεύειν, ut interpretatur iste, de medicamento eradicatiue purgãte, sed absolute, de medicamento purgãte, ut semper interpretatur Galenus, ad differentiam aliarũ euacuationũ.*

*Et ne in re tam aperta longior sim, quàm res expostulat, satis a me demonstratum fuisse arbitror, licet in infinitis alijs locis etiam idem habeatur a Galeno, quemadmodum & ipsemet fateri uidetur: nec ullibi reperiri potest apud Hippocratem aut Galenum, quòd præcipiant, aut sint usi tali medi-*

camento eradicatiue purgante, sicuti exponit iste intelligendũ esse per uerbum φαρμακεύειν.

Secundo, Dico, quòd per uerbum, κινεῖν, hoc est, mouere, non intelligit Hippocrates minoratiuam istam materiæ euacuationem, quæ fieri debeat per pharmacum (ut ipse dicit) electiue ducens, quod notabilem aliquam, & effatu dignam humoris noxij quantitatem educat, Cuius tamen dosis, longe minor sit, quàm eius, quod post concoctam materiam exhibendum est: Nam fatetur ipse, in utroq; aphorismo. s. Concocta medicari & mouere etc. Et in alio, Quum morbi inchoant, si quid uideatur mouendum, moue etc. Semper per uerbum, mouere, intelligendum esse, de eadem minoratiua materiæ euacuatione facta per huiusmodi pharmacum electiue ducens: Sed non uideo equidem, quo pacto stante hac expositione sua, seruari possit Hippocrates, quin in duobus istis aphorismis, ex opposito sibi contra dicat, quum in uno dicat secundum eius expositionem, quòd concocta sint pharmaco eradicatiue purgãte euacuanda, atq; etiam purgante electiue medicamento minoranda, non autem ea, quæ cruda sunt, neque in principijs morborum eradicare cum purgante medicamento, nec minuere cum purgante medicamento oportet, nisi turgeant: In alio uero dicat, quòd materia cruda, absque hoc, q; turgeat, sit in principio morbi pharmaco electiue educente minoranda: Nisi hæc sit expressa contradictio, mihi uideor somniare: q; si sit contradictio, non boni interpretis munere fungitur, qui talem uirum, qualis fuit Hippocrates, ita faciat secundum hanc suam expositionem mani-

*feste inuicem pugnantia dicere.*

*Praeterea, uideretur etiam superfluus Hippocrates, si per mouere, intelligeret materiam medicamento purgante tantum minorare, quum secundum expositionem hanc prius dixerit, Concocta esse medicamento purgante eradicanda, postea statim dicat, eadem posse etiam minoratiuo purgante medicamento minorari: Quis est enim adeo rudis, qui nesciat, quòd si recte quispiam possit humorem aliquem noxium medicamentis eradicare, eisdem etiam non possit eundem imminuere? Quare stante hac expositione, non uideretur sententia haec Hippocrate digna. Iccirco fatendum est, quod per, mouere, intelligit Hippocrates, non tantum uitiosam materiam medicamentis euacuare, sed alijs etiam praesidijs, ac potissimum sanguinis missione, ut notauit optime Galenus in cōmento, & mox inferius a me demonstrabitur.*

*Praeterea, nulla uidetur maior ratio, quod per mouere, intelligendum sit potius de pharmaco materiam minorante, quàm de quacunque alia euacuatione, per quam minoratur materia, sicuti per urinam, siue per sudorem, aut alio quouis modo: sed praecipue de minoratione materiae facta per sanguinis missionem, quam omnino is uidetur improbare: Immo si quispiam recte animaduertat, oppositum potius inueniet: Nam declarans Galenus in cōmento huius aphorismi praesidia, quibus mouetur materia, quando in principijs mouenda est, dicit, Principale, ac potissimum esse remedium, uenae sectionem, non autem dicit, Aliquando, ut iste asserit: Secundo uero loco (inquit) ali-*

*quando purgationem, & hoc.s.solum intelligendum est, quando materia turget (ut superius dixi:) Quoniam uero materia raro turget, (ut dictũ est in aphoris. Concocta medicari etc.) Ideo dixit, aliquando purgationem, ut declararet, quòd minime sunt exhibenda purgantia medicamenta in principijs, nisi materia turgeat, quemadmodũ etiam docuit in secundo prorrheticorum cõmen. xxxyi. & in cõmen. xxiiij. aphoris. primæ particulæ. Inquit enim, Raro autê turget: immo materia etiã turgente, non sunt exhibenda semper huiusmodi purgantia medicamenta, quoniam non semper uiæ sunt paratæ.*

*Quare non est dicendum, ꝙ per uerbum, mouere, intelligat Hippocrates materiam pharmaco educente minorare, nõ autem sanguinis missione, aut aliquo alio conueniente præsidio.*

*Non erit ergo uerum, ꝙ duæ reperiantur euacuationes apud medicos, altera quidem eradicatiua, de qua intelligat Hippocrates per uerbum φαρμακεύειν, altera uero minoratiua, de qua intelligat per uerbum κινεῖν, quum minime etiam sit uerum, quòd per φαρμακεύειν, sit intelligendum materiam medicamento eradicatiue purgante euacuare, & per κινεῖν, materiam medicamento electiue ducente minorare, ut probatum est.*

*Euulsis igitur hijs suis fundamentis, eius argumentũ ex se ruit: Soluamus tamen etiam eius adductas rationes.*

*Ad eam igitur rationem, quam adducit, ꝙ non possit.s. aphoris. ille. xxix. secundæ partic. intelligi, de minoratione materiæ furiosæ, quoniam materia furiosa in omni tempore, ac statim sit euacuanda, In eo uero aphorismo loquatur Hippocrates,*

crates, de materia illa, quam non licet in statu euacuare, non ergo intelligendum est (inquit) de materia furiosa, quæ omni tempore, & quanto citius est educenda, siue in statu fuerit morbus, siue non.

Dico, ꝙ hæc ratio non modo friuola est, sed etiam falsa, quoniam eius fundamentum falsum est, Nam falsum est, ꝙ materia furiosa in statu euacuetur, quoniam fieri nequit, ut in morbo salubri, de quo loquitur Hippocrates in aphorismo (ut egregie notauit Galenus in cõmento) materia posſit in statu turgere, quum in statu potius sit concocta, & a natura expellatur, ut in libro de Crisibus apertiſsime docuit Galenus, & sæpius hoc idem repetit, & maxime in huius aphorismi cõmentatione, Vbi aſsignans rationem, quare neutrum horum auxiliorum. s. sectionem uenæ, nec purgationem oporteat adhibere morbo iam consistente, inquit, Vt enim in libro de Cri- »
sibus manifestauimus, concoctiones morborum tunc maxime »
fiunt, morbo autem consistente, quum iam natura concoxit, su- »
peruacuum est euacuare. »

Non ergo dicendum est, materiam posse esse furiosam in statu in morbo salubri, quum eo tempore potiſsimum sit concocta: Propterea non erit uerum dicere, non posse intelligi aphorismum de minoratione materiæ furiosæ, ea ratione, quoniam materia furiosa in statu posſit euacuari, immo fatendum erit oppositum, ꝙ. s. quando Hippocrates & Galenus per, mouere, intelligunt materiam purgante pharmaco in principio morbi minorare, semper intelligunt solum, quando materia fuerit

C

furiosa, & non de alia materia, ut ex Galeno pluribus in locis probari potest, sed præcipue in sexto de morbis uulgaribus, sectione secunda, cōmen. xxxiij. & in superius adducti aphorismi cōmentatione, » In acutis passionibus raro, & in principijs medicinis purgantibus uti, & hoc cum præmeditatione » faciendum: Nam Galenus in cōmento exponens aphorismum, inquit, » Pauloante dictum erat, Concocta medicari & moue» re, non cruda, neque in principijs, si non turgeant, plurima ue» ro non turgent, Nunc autem, quod circa principia acutarum » ægritudinum tantum, aliquando contingit utiliter purgare, nos » docet Hippocrates, nam in longis morbis semper oportet ex» pectare concoctionem, In acutis uero, quum turgent, etiam ab » initio, possumus uti medicamentis purgantibus, & hoc ipsum » non sine multa cautione & præmeditatione facere.

» Item paulopost inquit, Verum in acutis morbis, circa prin» cipia statim, circa primum uidelicet diem, uel non ultra se» cundum, si sumus usuri purgantibus medicamentis, quando turgent etc. Item rursus, in fine eiusdem commenti, ait, » Quare non sine ratione dixit, raro circa principia acutorum » morborum nobis uenire in usum purgationes, quoniam non sæ» pe turgent humores molestantes in principijs etc. Et hoc idem repetit in infinitis locis.

Ex hijs autem manifeste patet (nisi quis admodum cecutiat) Hippocratem & Galenum, quum loquuntur de purgatione applicanda medicamentis purgātibus in morborum principijs, Intelligere semper, talem purgationem fieri debere,

*quando materia turget tantum. Et non aliter: Iccirco non recte percipere uidentur Hippocratis & Galeni mentem, qui dicunt, exhibendam esse medicinam purgantem in principio morbi, materia existente Cruda, non autem turgente, secundum Hippocratis & Galeni dogmata, quum ipsi totum oppositum doceant, ac uelint, ut declaratum est.*

*Ad alias uero rationes, quibus contendit idem probare, non posse.s.intelligi de minoratione materiæ furiosæ, ea ratione, quoniam nunquam expectanda est eius concoctio, tum propter authoritatem Galeni dicentis, Ea ratione talem materiã esse per purgantia medicamenta euacuandam, ut minorem iam factam materiam facilius possit natura concoquere, tum propter periculum, ne in aliquod principale membrum decumbat: Item quia neque est inuenire in arte medica, qui de materiæ furiosæ concoctione loquatur, sed omnes, uno omnium consensu fatentur illam nulla prorsus expectata concoctione, a principio morbi, statim educendam esse.*

*Dico rationes has falsas esse, quoniam falsum est, materiã furiosam nunquàm esse concoquendam, quoniam certum est, secundum Hippocratis & Galeni sententiam, materiam furiosam aliquãdo quidem concoqui posse, & concoquendã esse, aliquando uero non: In morbis enim ualde acutis, seu peracutis, in quibus nullæ dantur induciæ ob morbi seuitiem aliquid prorogandi, nulla est expectanda huius materiæ furiosæ concoctio, sed statim, in morborum initijs, medicamento purgante, aut missione sanguinis est euacuanda: Dixi autem missione*

*sanguinis, quoniam accidit, ut quandoq; materia furiosa ad superiores partes moueatur, & tunc sanguinis missione, non autem medicamentis purgantibus educenda est, ut a me inferius apertissime declarabitur: De huiusmodi autem materiæ furiosæ euacuatione intellexit Hippocrates in aphoris. decimo quartæ particulæ, Vbi ait, Medicari in ualde acutis si materia turget eadem die etc. Non est autem dicendum, ut ipse exponit talem materiam furiosam eradicatiue purgandam esse, quoniam hoc falsissimum est, ut probabitur, sed tantum, secundum facilem patientis tolerantiam euacuandam, ac minuendam: Qua imminutione facta, iam non amplius furiosa est: Iccirco recte ait Galenus, minorem iam factam, facilius potest natura concoquere, & concoquit.*

*In morbis uero simpliciter acutis, Vbi possimus arripere occasionem aliquo modo concoquendi eam, tunc concoquenda est, (ut docuit Galenus in cõmento dicti aphorismi, In acutis passionibus raro etc. Et similiter in libello quos purgare oportet) medicamentis attenuantibus, ut puta melicrato, in quo decoctum sit aliquid Hyssopi, uel origani, uel tragorigani, uel thymi, uel pulegij, siue quid huiusmodi uim habens humores attenuandi: Et talis concoctio, (licet reuera in proprie dicatur concoctio) potius fit iuuandis purgationibus, quàm humoribus concoquendis, nam ex tali concoctione præparatur corpus, reserantur meatus, & obstructiones deterguntur, & si in humoribus crassities aut lentor inueniatur, ea pœnitus tollitur.*

*Propterea non sequitur, non posse intelligi de minoratione*

materiæ furiosæ, quoniam & si materia furiosa aliquando nulla expectata concoctione in principijs euacuanda sit, in partem uel in totum, secundum laborantis tolerantiam, residuum tamē, si quod post imminutionē superest, non amplius potest (ut diximus) turgere, quum a natura superetur: Iccirco nullus est, qui de huiusmodi materiæ furiosæ concoctione loquatur, quia in principijs minuenda est, ut eam minorem iam factam, facilius possit natura concoquere. Materia uero furiosa, quæ in morbis simpliciter acutis reperitur, si fieri potest, concoquenda est (ut superius diximus, et ex Galeni sententia probatū est:) Ideo falsum est dicere, q̃ materia furiosa non concoquatur, & de eius concoctione nihil apud medicinæ doctores scriptum reperiatur, quum de ea pertractatum sit a Galeno (ut superius dictum est) et ab Auicenna etiā, ut inferius demonstrabitur.

Et licet præter institutum nostrum uideatur, ea considerare, quæ de materia furiosa ab ipso proposita sunt, tamen, quia maxime diminuta sunt, quum in eius integra declaratione deficiant, non possum, non pauca quædam in hac re animaduertere, quæ rationibus nostris in futurum apertiorem facient declarationem. Nam, si eo modo materiam furiosam agnoscit, ueluti eam describit, diminute profectò, ac imperfecte uidetur eam dignoscere, quū dicat, Eam esse materiam furiosam, quæ mouetur, & per totum corpus defertur, nondum in aliqua ipsius parte firmata: Quæ furiosæ materiæ explicatio, quantum sit sufficiens, eorum iudicium esto, qui in Hippocratis & Galeni dictis diutius uersati sunt: Ea enim (ni fallor) dicitur materia 12

*furiosa, secundum Hippocratis & Galeni mentem, quæ non solum est in motu ambiguo in uniuerso corpore, uel saltem in partibus principalioribus, nondum tamen in aliqua parte firmata, sed præter hoc etiam, naturam irritat ad eius expulsionem, & mouetur uersus loca excretionis: Et hæc uere dicitur materia furiosa secundum Hippocratem & Galenum, non autem ea tantum, quam is asserit, quæ mouetur, & per totum corpus defertur, nondum in aliqua ipsius parte firmata, Quia ad hoc, q͏̃ sit uere furiosa, oportet, ut irritet naturam, & moueatur uersus loca expulsionis, & tunc indiget aliquo manum porrigente (ut testatur Galenus) Et ista est eius clara sententia, quæ ex multis eius locis clare elici potest, sed præcipue in cõmento primi aphorismi quartæ particulæ, & in decimo eiusdem, & libro octauo de cõpositione medicamentorũ secundum locos capite tertio, & in libro quos purgare oportet etc. Et in primo de Crisibus nono, & sexto de morbis uulgaribus, sectione secunda, cõmento nono, & in alijs infinitis locis, ne uidear ambitiose loca adducere, In quibus omnibus asserit, materiam furiosam, præter id quòd per totum corpus mouetur, nondum in aliqua parte firmata, naturam etiam irritat, & ad excretionis loca mouetur.*

*Sed præter authoritates Galeni adductas, Idem etiam ex Ethimologia uocabuli facile probari potest, Nam arbores dicuntur turgere, quando in eis mouentur humores, & irritatur natura, ad producendos, ac emittendos fructus: Vnde doctissimus Poeta probe expressit uim huius uocis in septima*

bucolicorũ egloga, inquiens, Iam uenit æstas Torrida, iam læto turgent in palmite gemmæ etc. Ita & animalia ipsa, (quemadmodum testatur Galenus) dicuntur turgere, quum ad emittendum semen, & ad coitum concitantur: Et hoc modo intelligendo materiam turgentem, siue furiosam, nullus profectò erit in doctissimi Leoniceni interpratatione error, (quemadmodum imaginatur iste) quia nihil refert, si dixerimus eam moueri ab una parte, seu ab uno membro ad aliud, uel ex membris ad membra, uel per uniuersum etiam corpus, modo non sit in aliqua parte, uel in aliquo membro firmata, & cum hoc etiam irritat motu suo naturã ad expulsionem: Harum enim uocum in sententia, & in re, (si recte percipiantur uerba) differentia nulla est, & consideratio hæc, potius pertinet ad grammaticum, quàm ad medicum.

Si ergo hæc, quam diximus uere dicitur materia furiosa, non immerito in principijs morborum euacuanda est, quum ipsa in principijs irritet naturam, & moueatur uersus loca expulsionis, præcipueq́; quum uiæ sint paratæ, & aliæ adsint conditiones a Galeno positæ, Quibus re uera deficientibus, non semper debemus uti purgantibus medicamentis: Et ideo Hippocrates in fine aphorismi dicebat: Et hoc cum præmeditatione faciendum, ut notauit Galenus in cõmento. Nec est adeo subtiliter interpretanda particula illa, ut Excellens uir 13
iste, Diuino quodam numine afflatus, exposuit, Hippocra. s. per ea uerba innuere uoluisse, Quum nonnulli mollis adeo naturæ sint, ut ex leui quauis passione plurimum exagitentur:

*Propterea non licere, ita de facili, turgentem esse materiam affirmare: Et ideo, ut nos moneret Hippocrates, atque cautos faceret, ne in cognitione turgentis materiæ falleremur, talem protulit sententiam. Sed profectò, & Hippocrates & Galenus fuissent in hoc maxime diminuti, & imperfecte eorum doctrinam posteris tradidissent, si cognoscentes difficultatem cognoscendæ materiæ furiosæ, & mollitiei quarundam effœminatarum naturarum, earum differentias non declarassent, uel saltem docuissent, quo pacto cognosci utræque possint: Et hoc pacto, Excellentissimum uirum hunc absoluissent ab huiusmodi onere, ac labore, declarandi inditia quibus probe materia furiosa cognosci posset.*

*Postremo, ad id quod asserit, neque posse etiam intelligi aphorismum illum de ea minoratione, quæ per uenæ sectionem efficitur, hac potissimum ratione, quia in ea quantitate sanguinis, quæ hac nostra tempestate per uenæ sectionem educitur, minima potest esse alterius humoris noxij quantitas, quæ naturam reddat effatu digno fortiorem supra residuum concoquendum etc. Dico, quod huiusmodi ratio parum habet efficaciæ ad probandum eius intentum: Nam concesso adhuc, quod nostra hac tempestate per uenæ sectionem non educatur plusquã libra una, aut parum quid ultra sanguinis, non est tamen propter hoc dicendum, non esse satis euacuatum humoris noxij: præter illud enim, quod quotidie uidemus, quibus conuenit huiuscemodi sectio uenæ in effluxo sanguine magnam esse, uel saltem æqualem humoris noxij portionem, & talem sanguinis quanti*

*tatem satis oportunitati facere, plurimosq; sola tali sanguinis missione curari, tamen adhuc dicerem, quod nihil prohibet, stantibus uiribus, & ætate, & morbo exigente, maiorem sanguinis copiam extrahi posse: Verum id potissimum usu euenit, ut non maior sanguinis quantitas educatur, tum, ob ægrotantis uires, tum, ob euitandam calumniam, tum, quia medici intentio non est, in missione sanguinis sola, uniuersum uitiosum humorem euacuare, sed tantum portiunculam, ut aliquantisper exonerata natura, facilius quod reliquum est, & concoquat, & excernat. Neque propterea dicendum est, esse apud medicos (ut dixi) præfinitam extrahendi sanguinis metam, quoniam in aliquibus maior, in aliquibus minor educitur copia sanguinis, secundum ægrotantis uires, facilemq; eius tolerantiam, ac ægritudinis exigentiam: Et tamen in hac uaria, & modica sanguinis eductione, maximum habetur iuuamentum. Nam aliquos uidemus, tribus tantum, quatuor ue sanguinis untijs effluxis, nullo alio medici præsidio præter uictus rationem adhibito, sed sola naturæ actione, sanitati restitutos. Iccirco dicendum non est, ob modicam sanguinis extractionem, non posse aphorismum intelligi de minoratione illa, quæ per uenæ sectionem efficitur: Immo de ea potissimum debet intelligi, ut in eodem cõmento apertissime Galenus, & in alijs infinitis locis declarauit, Vbi semper affirmat, materiam noxiam reddendam esse minorem sectione uenæ, quoniam minorem iam redditam, natura melius, ac facilius concoquit, & excernit. Vnde eisdem niet uerbis, & eadem sententia usus est in. xi.*

,, de morbis curandis cap.xv. Saluberrimum (inquit) ut præ=
,, diximus est in febribus, uenam incidere, non continuis modo,
,, uerum etiam alijs omnibus, quas putrescens humor concitat,
,, Vbi præsertim, nec ætas, nec uires prohibent: leuata nanque,
,, quæ corpus nostrum regit natura, exonerataque eo quo uelut
,, sarcina premitur, haud ægre, quod reliquum est uincet: Itaque
,, proprij muneris haud oblita, & coquet quod concoqui est ha=
,, bile, & excernet quod excerni debet etc. Eandem sententiam
habet Hippocrates in quarto de ratione uictus in morbis acu=
tis cap.xx. Vbi inquit Hippocrates, siue auctor ille quicunque
,, tandem fuerit, In acutis morbis sanguinem detrahes, si uehe=
,, mens morbus uideatur, florueritque ægrotanti ætas, ac uirium
,, affuerit robur etc. Galenus in cõmento huius partis, multa
dicit de utilitate missionis sanguinis, sed præcipue, quod non so=
lum plenitudine existente, & in morbis acutis, sed ea etiam non
existente, & in morbis longis, utiliter uena secanda est, & hoc
intelligendum est in principio morbi, non concocta materia,
iuxta sententiã præallegati aphoris. Quũ morbi inchoant etc.

Quare relinquitur, quod nullo pacto possimus intelligere per,
mouere, minorationem materiæ Crudæ factam cum medica=
mento electiue educente, non autem per sanguinis missionem,
tum, propter rationes iam dictas, & authoritates adductas,
tum, quia hoc modo exercere medicinam, est uniuersam rem
medicam subuertere, & ægrorum corpora interficere, aut
saltem morbos in longum protendere, quoniam huiuscemodi
medicamenta hoc modo exhibita, non modo non iuuant, sed

*maxime ledunt, quum impediant concoctionem residui materiæ, quæ remanet concoquenda. Quemadmodum pluribus in locis apertissime patet ex Galeni sententia, sed maxime ex quarto de ratione uictus in morbis acutis, cōmento 43. & 44. Non enim (inquit) dandum est pharmacum educens, quum in humoribus adest Cruditas, quoniam ex eo fiunt agitationes in humoribus, quæ concoctionem impediunt, humores enim ut concoqui possint, indigent quiete, quemadmodum indiget etiam cibus in stomacho, ut bene concoquatur quiete ipsa, Idcirco purgationes concoctioni contrariæ sunt, Corpus enim uehementer mouentes frangunt, tali siquidem uirtute prædita sunt omnia quæ purgant medicamenta. Hac igitur potissimum ratione, præter alias, minime minuenda est materia cruda in morborum principijs medicamento electiue ducente.*

*Quod si quispiam dixerit, (& hoc fuit Argumentum Auerrois septimo colliget) hac eadem ratione euitandam etiam esse sanguinis missionem, quum ex ea fiat etiam in humoribus agitatio, & per consequens probibeatur concoctio residui materiæ concoquendæ. Dicendum est, non esse similem humorum agitationem in missione sanguinis, & in medicamento purgante, immo maxime diuersam esse, quandoquidem ad hoc, ut humores per pharmacum educantur, necessum est, ut pertranseant uenas capillares, quæ in hepatis regione sunt, per quas, quum sint adeo paruæ, & humores crudi, uiscidi, & crassi, (potissimumque temporibus istis, quibus homines ut plurimum crapulantur, multisque, ac uarijs ciborum generibus ue-*

ſcuntur, & luxurioſe, ac inordinate uiuunt, adeo, ut facile ſem per aliqua fiat obſtructio in uenis ſaltem hepatis) ſi in morborum principijs exhibuerimus educens pharmacum, non poterunt humores crudi pertranſire, & per conſequens neque educi, propterea agitamus magis illos, & calefacimus magis corpus, & augemus morbum, quum tamen inde nullum prorſus ſequatur iuuamentum. Et hoc eſt quod exclamat Hippocra-
» tes, In acutis paſsionibus raro, & in principijs, medicinis pur
» gantibus uti, & hoc cum præmeditatione faciendum: Simili-
» ter Galenus in expoſitione aphoriſmi, examinans cur dixerit
» Hippocrates, Raro circa principia morborum acutorũ nobis uenire in uſum purgationes, Quoniã (inquit) raro materia turget, & dato etiam ꝙ turgeat, raro eſt, ꝙ uiæ ſint apertæ, & eductioni paratæ, neque adſint obſtructiones. Et ideo turgente etiam materia, debemus quantum fieri poteſt, huiuſmodi purgationes euitare, multoq́; magis, ubi materia cruda ſit,
» & non turgeat: Nam quicunque (inquit) multa cruditate la-
» borant, uel qui tenaces, ac craſſos cibos aſſumpſerint, ſicuti etiã
» quibus Hipochondria diſtenta, atque inflata ſunt, aut ſupra
» modum calida, atque ignea exiſtunt, & hoc ipſo in loco aliqua
» eſt uiſcerum inflammatio, omnes hij haud quaquam ſunt apti
» ad purgationes: Hæc itaque abeſſe oportet, & humores quã
» maxime fieri poteſt eſſe fluxui paratos, hoc eſt tenues, &
» nullum lentorem participantes, & aperta eſſe foramina, per
» quæ debeat purgatio fieri, & nullam habere obſtructionẽ etc.

Hanc eãdem ſententiam præciſe, immo eademmet præ-

cise uerba Galenus habet in libello, Quos purgare oportet etc. Ita ut, manifeste declaret, non modo, in materia cruda simpliciter, talem purgationem fugiendam esse, Verum etiam in materia furiosa, nõ ita facile, ac sine cõsideratione exhibendã esse, sed ea oĩa, q̃ superius diximus, repetit esse aĩaduertenda.

In sanguinis uero missione, nullum horum considerandum est, modo tria consentiant, Morbus. s. uires, & ætas: Et ex hoc maximum percipitur iuuamentum, quum nullum prorsus sequatur incõmodum: Nam si aderit obstructio aliqua, reserabitur sectione uenæ: Nec propterea aliquod ĩminet periculum de calefactione aliqua, quæ fieri possit per sanguinis missionem, sicuti per exhibitionem pharmaci, quod & sui uenenositate lædit, & uenenositatem addit uenenositati, neque enim datur medicamentum aliquod electiue purgans adeo facile, quod uim naturæ non inferat, & sui caliditate non calefaciat, quum solutiua omnia, qua solutiua sunt, (si Galeno credendum est) potentia calida sint. At sectio uenæ nullam uim naturæ infert, immo eius motus naturæ maxime familiaris est, & assuetus, Quippe quum in sanis continue fluat, ac refluat sanguis per uenas, & ideo motus iste nullo modo concoctionem impedit, sed potius adiuuat, cuius argumentum hinc facile potest haberi, quia homo in sanitate constitutus, extracto per uenam sanguine, suas immediatę solitas excercet actiones, quod tamen facere non poterit, assumpto, ac deuorato electiue educente pharmaco.

Præterea, milies apud Galenum reperitur, ꝙ in princi-

pio morbi præcipit sanguinis mißionem, nunquam autem exhibitionem purgantis medicamenti, nisi materia turgente (ut dictum est,) & hoc etiam non semper: Nam in libello de uenæ sectione aduersus Erasistratum, uituperat ualde exhibitionem pharmaci, connumeratq; plurima eius incõmoda, E contra uero sanguinis mißionem mire laudat, ea nimirum ratione, quoniam (inquit) Sãguinis euacuationis sistendæ medicus habet liberam potestatem, aliarũ uero purgationũ nequaquã. Eandem etiam sententiam, sed longe clariorem adhuc, & difusiorem ponit in libello de Curandi ratione per uenæ sectionem, Nã inquit, ꝙ laboranti præbendum sit pharmacum, aut bilem, tum flauam, tum atram, aut pituitam, aut serosum excrementum euacuans, exacte nouimus: Cæterũ, quantum præberi debeat, nescimus: At qui talis exhibitio corrigi postea nequit, nam quod semel in uentrem deuoratum est medicamentum, quo minus omne deuoratum sit, fieri nõ potest, ubi plusquã conueniat iam purgatur homo partem oblati auferre. At in sanguinis mißione, summum id bonum est, euacuationem dum uoles posse sistere, ac rursum, quo uideatur tempore, fluere sinere, quo ad usque recte habere appareat: Quapropter præstat, nisi quid urgeat, priori mißione minus detrahere, Iterumq; eam repetere, immo si lubeat, etiam tertio: Vbi ergo multa euacuatione opus est, uerum uires sint imbecilliores, in hijs euacuationem partiri expedit, uti nimirum me fecisse uidistis, in hijs, quibus crudorum inerat humorum copia, & quæ sequuntur, Quid Clarius desiderari potest? Item in uniuerso

eo libello, quemadmodum licet uidere, immo ferè in omnibus eius libris, (si quis animaduerterit) ubiq; laudat, ac præcipit in morbi principio, materia non concocta, sanguinis missionem, nullibi autem exhibitionem medicamenti, præterquàm in materia turgente, & in hac etiam non semper, (ut dictũ est.)

Amplius etiam, non solum in crudorum humorum copia, & in plenitudine, & in conueniente ætate, sed etiam in pueris supra quartum decimum ætatis annum, & (quod magis est) non existente etiam plenitudine, sanguinem mittendum iubet, ut apertissime unusquisq; eundem libellũ legens intelligere põt.

Et ne diutius immorer in re tam aperta, quum infinita pene essent loca, quæ possent adduci, Quibus apertissime Galenus hanc sententiam declarat, Concludendo dico, Galenum semper & Hippocratem in morbi principio, sanguinis missionẽ, stantibus conditionibus debitis, pro materiæ peccantis imminutione præcipere, nullibi autem exhibitionem medicamenti electiue purgantis, nisi turgente materia (ut dictum est,) aut concocta: immo concocta etiam materia, debilissima pharmaca uix uidetur concedere, quemadmodum habetur octauo de compositione medicamentorum secundum locos, cap. iij. Porrò inquit ad inflãmationem habentes non absolute dandum est Hieræ pharmacum, quouis inflammationis tempore, Verum ubi concocta fuerit, & declinauerit, Concocta enim medicanda recte sentit Hippocrates, non cruda, neque per initia, nisi turgeant etc. Vnde ex hoc loco facile potest intelligi, quod si prohibet Galenus, materia non concocta, debilissimi medicamenti

exhibitionem, puta Hierae, in morbi principio, sed tantum con cocta materia, & declinante morbo, multo magis fatendum est, eum etiam fortiora probibere, qualia sunt electiue purgantia medicamenta.

Quare ex omnibus hijs apertissime constat, falsum esse, non posse intelligi aphorismũ, de minoratione materiae per sanguinis missionem, immo ex hijs oppositum concluditur, potissimum intelligi de huiusmodi minoratione: Et per consequens fatendum est, huius Excellentissimi uiri sententiam, nullo modo defendi posse, secundum Hippocratis & Galeni doctrinam, ut probatum est.

Sed fortasse instabit aduersus expositionem nostrã, quia inquiet, Eadem ratione, qua superius probabatur, esse contradictionem in dictis Hippocratis in duobus illis aphorismis, si per, mouere, intelligatur pharmaco purgante minorem redde re materiam, Eandem profectò contradictionem fatendum est esse, si per, mouere, in utrisq; intelligamus etiã euacuationem factam peccantis materiae per sanguinis missionem, uel aliquo alio praesidio: Nam in. xxij. primae particulae, inquit, Concocta pharmaco purgante euacuanda sunt, uel sectione uenae, uel aliquo alio praesidio: Cruda uero, neque pharmaco purgante, nec sectione uenae, nec aliquo alio praesidio educenda sunt, nisi turgeant: In. xxix. autem secundae particulae oppositum dicit, ubi ait, Quum morbi inchoant etc. idest si in principio morbi materia sit cruda, & indigeat euacuatione, euacua eã, uel eã minorem redde, sectione uenae, uel aliquo alio praesidio:

Ideo

*Ideo uidetur eadem cõtradictio, quia in uno dicitur, ꝙ materia cruda, nec sectione uenæ, nec alio auxilio euacuãda est, nisi turgeat: In alio uero dicitur, ꝙ materia cruda, & non turgens sectione uenæ, uel aliquo alio præsidio euacuãda est, Quare etc.*


*Dico, ꝙ nulla est cõtradictio, si recte intelligantur Hippocratis & Galeni dicta: Nam superius diximus, non esse Hippocratis intentionem in eo aphorismo. xxix. secundæ particulæ dare modum euacuationis materiæ, quia iam in prima partic. illud perfecte absoluerat, tam de qualitate, quàm de quantitate, & tempore euacuationis materiæ loquutus, sed explicare particularius illud, quod antea uniuersalius dixerat: Dixerat autem Concocta medicanda, & mouenda etc. idest medicamento purgante euacuanda, & alijs accõmodatis præsidijs educenda: Addebat autem, Mouere, nõ ut iste interpratatur, sed ut declararet, ꝙ non modo concocta, & furiosa pharmaco purgante euacuantur, uerum etiam alijs præsidijs, quoniam in plus se habet mouere, quàm medicari. Ea enim dicũtur moueri, q̃ tã medicamentis purgãtibus, quã alijs præsidijs euacuantur, sicuti intellexit Hippocrates in. xxix. secundæ particulæ, secundum expositionem Galeni, qui materiam mouendã esse exposuit, & sectione uenæ, & aliquando medicamentis purgantibus: Quæ uero dicũtur medicari, solis medicamentis purgantibus euacuantur: Iccirco quum dixit Hippocrates, Si quid uidetur mouendum, moue etc. intelligit, tam de materia turgente, quã de nõ turgente, & tam de medicamento purgante, quàm de sectione uenæ, & tam de materia*

concocta, quàm de cruda, quæ si uidetur euacuanda, conuenienti aliquo modo ex hijs euacuanda est: Nõ autem intellexit solum, de materia cruda simpliciter, sed de turgente præcipue, quæ si euacuanda est, euacuari debet in principio, non autem in statu. Quando uero dicit in.xxij. primæ particulæ materiam crudam, nec medicamento purgante, nec sectione uenæ, nec alio ingenio euacuandam esse, intelligit de materia faciente morbum, quæ in aliqua corporis parte firmata sit, & non turgeat amplius, quæ reuera, nullo unquàm ingenio euacuanda est, nisi concocta fuerit: Et de hac intelligit Hippocrates ut ex Galeni uerbis in eo cõmento clare patet, nam inquit,

» Eos uero, qui sunt in aliqua corporis parte firmati, neque
» alio auxilio mouere oportet, neque medicari ante concoctionem etc.

Nihil tamen prohibet, quin possimus euacuare, tam materiam turgentem, si sursum repat (ut inferius declarabitur,) quàm alios humores prauos existentes in corpore, si uidentur euacuandi, uel sectione uenæ, uel aliquo alio præsidio, ut per lotium, sudorem, per hæmorrhoidas, & similia: Et de huiusmodi humoribus euacuandis, ac de turgentibus intellexit Hippocrates educendos esse in principio, non autem in statu: Iccirco nulla est contradictio.

## SECVNDVM ARGVMENTVM.



ECVNDVM Eius Argumentum fundatur authoritate Galeni in libello, Quos purgare oportet etc. Ibi enim (inquit,) est expressa Galeni sententia, q tenues, ac serosi humores, a principio morbi euacuandi sunt, nulla expectata concoctione: Et ibi Galenus de minoratiua euacuatione loquitur, Et non de illa, quam eradicatiuam vocant, quod ex eius verbis patet, quum dicat, In principio enim serosos, ac tenues humores euacuabis, Expectabis autem concoctionem in crassis, & glutinosis, quales natura sunt, & phlegmatici, & melancholici etc. Ex quibus uerbis (inquit) manifeste patet, q Galenus uult in illis tantum humoribus expectandam esse concoctionem, qui crassi sunt, ac uiscidi, tenues uero, ac serosos, uult a principio morbi esse euacuandos, nulla.s. expectata concoctione ipsorum, quoniam a principio morbi, nequaquàm humores concocti sunt, quum signa ipsa concoctionis, transactum esse principium indicent, teste Galeno primo de Crisibus.xvii. Vnde ex hoc uidetur concludere secundum Galeni mentem, danda esse minoratiua medicamenta electiue ducentia, in non cõpleta dosi, in principio, materia nõ cõcocta, neq; turgẽte.

Quod autem Galenus hic de minoratione materiæ loquatur, non autem de eradicatione, probat hoc argumento, quoniam parum inferius in eodem libello, de ipsa materiæ eradicatione verba facit, quum dicat, Nunquàm purgãdos esse humores ante concoctionem, nisi sint furiosi, Nam (inquit) hoc in loco de ea euacuatione sermonem habet, quæ

turgentibus humoribus debetur, quæ eradicatiua esse debet, ut ex subsequentibus Galeni uerbis elicitur, ubi reddens rationem, cur purgantia medicamenta, etiam q calida existant, in acutis febribus, a principio, ubi materia turget, exhibenda sunt, inquit, q maius est iuuamentum, quod a purgantibus medicamentis fit, quando totum ipsum turgentem humorem euacuant, quàm sit nocumentum illud, quod ex ipsorum calore prouenit: Ex quibus (inquit) uerbis liquet, q Galenus uult materiam turgentem totam esse euacuandam, atque prorsus eradicandam: Aliis vero humoribus non turgentibus, neque concoctis, quales sunt tenues, ac serosi, non debetur eradicatiua purgatio, sed minoratiua.

## SOLVTIO.

*DICO q huiusmodi Argumentum non modo non est ad propositum, sed de directo aduersatur eius opinioni: Vnde si Excellentia sua melius considerasset intentionem Galeni in eo loco, non adduxisset hanc authoritatem pro corroboranda eius opinione, quoniam ex tali authoritate potius destruitur, quàm cõfirmatur, ut apertissime probabo.*

*Sed primo, q talis autboritas non sit ad propositum, ex hoc facile probatur, Nam apertissime constat, q eo in loco, ubi ponit Galenus hæc uerba, sermonem habet de sanorum præseruatione, & de hijs, qui non actu ægrotant, sed in posterum ægrotaturi sunt, nisi fuerint euacuati, Docetq;, quo pacto tales euacuari debeant, superius ne, an inferius, an per uenæ*

*sectionem, an per pharmacum, & quo nam tempore, & qui humores euacuandi sint, iuxta morborum diuersitates, & conditiones, similiter & ætatem, & consuetudinem. Quumq; declarasset, quonam pacto crassi, & glutinosi humores educi debeant, similiter & biliosi, & atrabilares, ut perfectam eius doctrinam redderet, descendit etiam ad serosorum, ac tenuium humorum eductionem, docetq;, quonam tempore, & ipsi sint euacuandi, ut affectus, qui ex huiusmodi humoribus uenturi essent, (nisi uacuarentur,) in posterum prohibeantur. Quare eo in loco non loquitur Galenus de ægris, de quibus est quæstio, sed de sanis (ut dixi,) Qui tamen postea, nisi fuerint euacuati, uel sanguinis missione, si morbis ab humorum copia ortis corripiantur, aut purgatione, si corruptis humoribus conflictentur, ægrotaturi essent: Vnde non dicit Galenus, q; tenues, ac serosi humores, a principio morbi euacuandi sint, ut ipse ponit, sed a principio, simpliciter, quoniam ibi non loquitur (ut dixi) de morbis iam existẽtibus, sed in futurũ uẽturis.*

*Quod autem de sanis, eo modo quo dixi, sermonem habeat, unusquisq;, qui libellũ ipsum leget, apertissime ex se ipso intelliget: præsertim, quia ferè statim post ea uerba, positis euacuationibus sanorum, (ut dixi) quæ fieri debent, declarat regulam, & modum curandi etiam ægros, Quum dicat: At in hijs qui iam ægrotant, si morbi diuturni sint, semper eorum maturatio expectanda est: Sin autem acuti, quum turgent, per initia medicamentis uti licet etc. Iccirco non erat ad propositum adducenda ab eo authoritas hæc, quum de corporibus sanis ibi*

loquatur Galenus, non autem de ægris: Ipsius uero sententia sit, humores non concoctos, neque furiosos, sed multitudine, ac mala etiam qualitate peccantes, inter morborum initia, cum purgante medicamento euacuandos esse. Quare satis patet ex hijs, dictam eius authoritatem adductã non esse ad propositũ, & per consequens eius argumentum nullum esse.

Sed ei condonetur hoc obsecro, ꝙ .s. sit ad propositum, & ponatur etiam, ꝙ de iam ægrotantibus sermonem habeat Galenus, Quid adhuc erit pro istius opinione? nihil profectò, nisi ꝙ serosi humores, ac tenues a principio (dicamus etiã morbi) sint euacuandi, quid tum? Concludetur ne propterea, ꝙ cum minoratiua ista sua purgatione, quæ cum purgante medicamento electiue ducente (ut ipse ait,) & in minore tamen dosi exhibito, quàm post concoctam materiam conueniat, euacuandi sint? Minime: Quoniam, præter id, quod superius a me satis aperte demonstratum est, ex sententia & Hippocratis & Galeni, non dari terminos hos eradicandæ materiæ, unico medicamento, nec minorandæ, sed solum ad patientis tolerantiã usque, & tales distinctiones, eradicatiui .s. aut minorantis medicamenti, figmenta potius quædam esse, quàm res ueræ, nihil tamen obstat etiam, quin tales humores (serosi inquàm, ac tenues) euacuari possint, ac euacuandi sint, a principio morbi, uenæ sectione: immo etiam longe melius, ac rationabilius, quã cum medicamento purgare, quemadmodũ in confutatione prioris argumenti demonstratum est.

Accedit ad hoc, ꝙ & ipsemet, incaute tamen, sed rei ue-

*ritate potius adstrictus, idem cogatur in dictis suis fateri:
Nam intendens in declarationibus suis, quas ad muniendam
eius sententiam praeposuit, probare, tenues humores esse inco=
ctos, sic ait: Amplius acuti morbi, ut in pluribus a tenui mate* 8
*ria fiunt, ut patet, & tamen in eis, nec Hippocrates nec Gale
nus uult, materiam ipsam a principio, cum soluente medicamen
to purgari, nisi turgens, aut furiosa sit: Vnde ex hijs eius uer
bis (uelit, nolit,) fateatur necesse est, Galenum intelligere, &
uelle, tales serosos, ac tenues humores, a principio, per uenae
sectionem, uel aliquo alio ingenio, euacuandos esse, si & ipse
fatetur, Hippocratis & Galeni sententiam esse, nunquam ta=
les humores, a principio morbi, cum soluente medicamento, pur
gandos esse, nisi turgeant.*

*Amplius, quod Galenus intelligat eo in loco, serosos ac te=
nues humores euacuandos esse per uenae sectionem, non autem
per medicamentum purgans, (siue sit illud minoratiuum, siue
ut lubet eradicans,) patet: quoniam, si quis diligenter animad=
uerterit, obseruaueritque uerba Galeni, praesertimque in hoc ipso
libello, Quos purgare oportet etc. Semper, ubi intendit eua=
cuare materiam aliquam, quae faciat, aut in posterum factura
sit morbum, si eam intendit euacuare medicamento purgante,
utitur hijs terminis, καθαίρω, hoc est, purgo, uel ἰσχυρῶς κενῶ διὰ
φαρμάκου καθαίροντος, hoc est, ualide euacuo medicamento pur
gante, uel φαρμακεύω, hoc est, purgante medicamento utor.
Vbi uero intendit euacuare materiam aliquam, sectione ue=
nae, uel alio quouis ingenio, semper utitur uerbo, κενῶ, simplici=*

*ter, hoc est, euacuo: Iccirco, quum utatur hoc loco uerbo, κενῶ, simpliciter, fatendum est, ipsum intelligere de euacuatione, quæ fieri debet per uenæ sectionem, uel alio quo uis modo, non autem per pharmacum purgans, ut iste existimat.*

*Quòd autem hæc sit uera Galeni mens, apertissime pluribus in locis patet; sed præcipue in cõmento, xvij. aphorismi secundæ particulæ, & in libro artis medicinæ, cap. lxxxix.*

*Non erit ergo uerum, dicere, q̃ liceat materiam crudam minorare purgante medicamento, ea ratione, quoniam Galenus uelit hoc loco, humores tenues, ac serosos a principio etiam morbi, tali purgante medicamento euacuandos esse, quoniam ex hoc potius (ut probatum est) oppositum sequitur, q̃ nolit .s. huiusmodi humores educente pharmaco purgandos esse, ut apertissime etiam in quarto de tuenda ualetudine habetur a Galeno, sed uenæ potius sectione, uel aliquo alio ingenio euacuandos. Quare, nec in sanis (ut dictum est,) nec in ægris, eius argumentum ualet.*

*Et ne indiscussum aliquid prætermittamus, quod animum nostrum possit perturbare, Quæcunque in hac materia dicuntur ab eo, dissoluenda existimaui: Iccirco, quia ad probandum eradicatiuam purgationem materiæ furiosæ secundum Galeni doctrinam dari, adduxit eius authoritatẽ, in eodem libello, Quos purgare oportet etc. Vbi Galenus assignans (inquit) rationem, cur purgantia medicamenta etiam q̃ calida sint, in acutis febribus, a principio, turgente materia sint exhibenda, asserit, maius esse iuuamentum, quod a purgantibus medicamentis*

camentis prouenit, quando totum ipsum turgentem humorem euacuant, quàm sit nocumentum, quod ex ipsorum prouenit cali ditate: Ex quo loco elicit, uniuersam materiam turgentem, pur gante medicamento eradicandam esse.

Dico, quod profectò non uideo, quantum ex hoc ualeat ista ra tio: Nam primo, quod uniuersa materia turgens educenda sit, quemadmodum & cæteræ omnes materiæ peccantes, pro con fesso habendum est: Sed, quod unico purgante medicamento, & confertim eradicari debeat, negandum est: quoniam (sicut in superioris argumenti dissolutione, satis aperte ex Galeni sen tentia demonstrauimus,) materia turgens non semel tantum, sed plures, secundum patientis tolerantiam, a principio morbi debet educi, seu minui: Et quoniam rarissime accidit, quod mate ria turgente, uires patiantur totalem hanc euacuationem, cum laborantis præsertim tolerantia, Hinc est, quod fateri debemus, eam potius minuendam esse, quàm eradicatiue purgandam: Qua imminutione facta, iam non est amplius turgens: & hanc inquit Galenus, facilius potest natura concoquere, non ut tur gentem amplius, sed ut crudam: Quæ quum iam concocta est, naturam uacuationi opitulantem habet: Et ubi absolute quidem ipsa mouet, nihil opus est medicamentis: Vbi uero leuius, atque imbecillius actionem obit, id quod deest, medicamentis adijce re oportet: Et hoc pacto tota euacuatur materia furiosa: non autem unico medicamento eradicante.

Sed falsum est præterea, quod asserat Galenus, ea ratione purgãtia medicamenta (etiam quod calida sint) in acutis febri

F



*bus, a principio, turgente materia esse exhibenda, quoniam maius sit iuuamentum, quod a purgantibus medicamentis prouenit, quando totum ipsum turgentem humorem euacuant, quã sit nocumentum, quod ex ipsorum prouenit caliditate: immo oppositum potius uidetur innuere Galenus, abstinendum. s. esse a medicamentis purgantibus, quantum fieri potest: quod si necesse sit, oĩno ipsis uti, oportere medicum (ait) ita agere, ut maior proueniat utilitas ex noxiorum humorum purgatione, quàm sit nocumentũ, quod a medicamentis purgãtibus necessario corpori obuenit: Docet autem etiam, quo pacto id fieri possit, & ponit conditiones obseruandas, quæ in exhibitione unici purgantis medicamenti eradicatiui minime possunt obseruari. Quare nõ uidetur conuenienter ex hac authoritate concludendum, dari eradicatiuam hanc materiæ furiosæ purgationem, unico eradicante medicamento. Quòd si quandoque contingat, uniuersam materiam turgentem unico purgante medicamento posse euacuari, hoc raro quidem, & ut in paucioribus euenit: Regulæ autem Hippocratis & Galeni sunt uniuersales, & ut in pluribus uerificantur, ut patet ex Hippocratis & Galeni sententia tertio prædictionum xlij, & xliij.*

## TERTIVM ARGVMENTVM.



TERTIVM Eius argumentum, sumptum est ex authoritate Hippocratis & Galeni, in secundo de ratione uictus in morbis acutis, textu cõmenti xi. Ibi enim (inquit) quod Hip-

pocrates in pleuritide, a principio, & ante materiæ concoctionem, dolore eas partes infestante, quæ sub septo sunt, usus est Helleboro nigro, & Peplio, quæ tum purgantia, tum fortia etiam medicamenta sunt.

Item Galenus in eo cõmento, tametsi in pleuritide prædicta, ubi febris ualida sit, magis inclinat in uenæ sectionem faciendam, quàm in exhibitionem purgantis medicamenti, propter rationes, quas ibidem adduxit, Concedit tamen & ipse, Hieram diacolocynthidos in tali casu esse exhibendã, si febris uehemens non sit, & laborantis corporis naturæ experientiam habuerimus. Quare (inquit) ex prædictis patet, ꝙ tam Hippocrates quàm Galenus purgantia medicamenta ante materiæ concoctionem dabant.

Neque dici potest (inquit,) ꝙ illud egerint, quia in pleuritide materia turgens, siue furiosa sit, quia triplici potissimum ratione probatur id fieri non posse.

Primo, quoniam si in pleuritide materia furiosa esset, Galenus etiam ꝙ febris uehemens fuisset, non tamen propterea elegisset in tali casu venam potius secare, quàm purgans medicamentum exhibere, quum materia turgens non per uenæ sectionem, sed per purgans medicamentum educenda sit; utpotè, quæ mala qualitate affecta sit, & talibus humoribus non uenæ sectio, sed purgatio debeatur.

Secundo inquit, in pleuritide, licet materia ab uno mẽbro ad aliud moueatur, non tamen propter hoc dicendum est, ꝙ ipsa turgens, aut furiosa existat, quum ad esse materiæ furiosæ requiratur, non ꝙ ab vno tantum membro ad aliud moueatur, sed per uniuersum corpus, aut a membris ad mẽ

bra defluat,modo.s.in unam,& modo in aliã corporis partẽ.

Tertio inquit,si in pleuritide materia furiosa esset,adessent etiam signa,quæ in materia furiosa superius a me dicta sunt: Sed huiusmodi signa non adsunt,ergo nec in pleuritide materia furiosa est.

## SOLVTIO.

*HVIVS Argumenti clara solutio posita est a Galeno,in eodem secundo de ratione uictus in morbis acutis, cõmento decimo, statim a principio: Nam uolens ibi Galenus assignare rationem, Quare diuersis præsidijs utatur Hippocrates*
» *in pleuritide, inquit, Ex humorum inclinatione, qui pariunt in=*
» *flammationem, uacuationes facit Hippocrates: Nam quo na*
» *tura uergit, per loca cõferentia, eò ducere, uerissimũ est etc.*
*Ex hijs enim uerbis apertissime uidetur Galenus, assignare nobis rationem, Cur Hippocrates dolore perueniente ad clauiculam, internam cubiti uenam secandam præcipit, partes uero, quæ sub septo sunt infestante, non uenam secandam, sed uentrem nigro ueratro, aut peplio molliendum iubet, hac.s.ratione, quia, quum in primo aphorismorum.xxi. tradiderit nobis Hippocrates, duplicem considerandam in uacuandis humoribus intentionem, naturam .s. membri, per quod fieri debet euacuatio, & humoris motum: Iccirco dolore ascendente ad clauiculam, iubet Hippocrates internam cubiti uenam secandam esse, ea ratione, quia in educendis humoribus, debemus*

semper imitari naturæ motum, & humorum, & per loca conferentia euacuare, iuxta sententiam prædicti aphorismi. Quum ergo in eo casu, in superiori parte dolorem esse significaretur, & materiæ motum eo tendere: Iccirco non immerito, uenam in cubito secandam iubet, ut potè, quæ sanguinem ab affecta parte, & magis, & uelocius, tum reuellere, tum uacuare possit: Eadem etiam ratione, dolore descendente ad Hypochondria, & ad eas partes, quæ sub septo transuerso sunt, uentrem nigro ueratro, aut peplio euacuandum præcipit: ut facilior habeatur, & conuenientior, humoris & diuersio, & euacuatio. Hac igitur ratione primũ, in pleuritide dolore descendente, medicamentis purgãtibus usus est Hippocrates.

Secundo, Dico ex sententia Hippocratis & Galeni, ꝙ in tali morbo acuto. s. pleuritide, materia etiam turget: Nec rationes in contrarium adductæ, quicquãm probant aduersus opinionem nostram, quemadmodum aperte demonstrabo: Nam (ut in priori argumentatione declaraui) materia turgens, non modo dicitur ea, quæ per totum corpus defertur, non dum in aliqua eius parte firmata, ut ipse existimat: Sed ea uere dicitur materia furiosa, quæ, ultra ꝙ mouetur per corpus, mouetur etiam uersus loca expulsionis, & naturam irritat ad eius expulsionem, Vt ubiq; clarissime habetur a Galeno, ubi de turgente materia uerba facit, & locis a me superius citatis, potissimumq; in loco ab ipso adducto. s. octauo de compositione medicamentorum secundum locos, ubi declarat ex intentione Galenus, quid proprie, & uere dicatur, humores turge=

,, re, dicens, ac declarans illa uerba, Nisi turgeant, inquit enī,
,, Nisi motus ad excretionem adducatur, & nondum ad unam
,, partem firmam habeat inclinationem, & stationē etc. Ecce, quomodo Galenus aperte declarat ex intentione propria, quid sit humores turgere. Quum ergo in pleuritide materia moueatur uersus loca expulsionis, ut patet, Iccirco merito dicimus, in pleuritide materiam turgere, & furiosam esse.

Quod autem Galenus, etiam ex intentione Hippocratis uelit in pleuritide materiam esse furiosam, dum est in motu, patet, tum ex eius uerbis, tum ex eius processu: Ex uerbis quidem, quoniam in principio cōmenti. xi. eiusdem secundi de ratione uictus in morbis acutis, ubi præcipit in pleuritide, dolore descendente ad partes infernas, uentrem nigro ueratro, aut
,, peplio euacuādum, inquit, Quod uero purgationis necessitas
,, sit, si redundantes humores deorsum repant, est etiam ratione scitum etc. Quæ uerba, nunquā aliter recte possunt interpretari, nisi ꝙ intelligat, id ratione sua, & eius uerbis, scitum iam, & manifestum esse, quoniam sæpius, & ubiq; docuit, humores crudos, in morborum initijs, nunquā esse purgante medicamento educendos, nisi turgeant: Quum uero turgent, Quo natura uergit, eō ducendos esse: Propterea dixit, id ratione scitum iam esse. s. ꝙ huiusmodi humores habeant necessitatem purgationis, & quia turgent, & quia deorsum fluunt. Et ita patet ex eius uerbis in eo cōmento, materiam in pleuritide furiosam esse.

Ex processu etiam Galeni, quem seruat, tam in pleuritide, quā in morbis acutis cum materia turgente, facile percipi

potest, Hippocratem & Galenum absque ulla dubitatione sentire turgentem esse materiam in pleuritide: Id autem clare patet, quoniam si legamus in eo libello, Quos purgare oportet etc. curam acutorum morborum turgentium, & curam pleuritidis ab eo scriptam, in secundo de ratione uictus in morbis acutis, Eandem inueniemus esse utrorumque curam, immo easdem omnino propositiones, & eademmet præcise uerba: Nam quum in dicto libro, Quos purgare oportet etc. docuisset, quid agendum sit in acutorum morborum curatione, quum turgent, per longum processum, subiungit: Quum igitur non acutus modo affectus fuerit, sed etiam cum febre uehementissima, abstinendum est a purgantis medicamenti exhibitione, præsertim quum quis laborantis naturam non compertam habeat etc. At si febris uehemens non fuerit, ægrotantisque naturam noueris, ad medicamenti exhibitionem accedes, helleboro nigro utens, aut aliquo consimili, in quorum numero est id, quod ex colocynthide paratur, quod consueto nomine hieram dicunt: Postea inquit, Vbi purgatio assumpta fuerit, conducit ptisanam superforbere, ut ait Hippocrates etc. Postea, At ubi purgatio fieri ceperit, non amplius ptisanam dari suadet, timens etc. Postea, At quum purgantia omnia medicamenta uentriculum uriant, & præcipue ipsius os, quod maxime sit neruosum, & sensile, odoratorum mixtura excogitata est: Et quæ sequuntur: Postea, Conuenit autem, ea quæ miscentur semina eiusmodi esse, quæ & malignitatem possint obtundere, & actionem ipsorum non impedire etc. Postea, At purgan-

,, tia quæ miſcentur ſibi inuicem congenera eſſe, & nulla ex par
,, te diſsidere oportet. Hæc omnia, ad uerbum, dicta ſunt a Galeno, in eo ſecundo de ratione uictus acutorum, in cõmentatione curæ pleuritidis ab eo ſcripta: Quæ, quoniam unuſquiſque ex ſe & uidere, & legere poteſt, Icc irco, ne horũ uerborũ deſcriptione tedium pariã, aliter ea non deſcribã in præſentia.

Quum igitur eadem præciſe ponatur cura in pleuritide, quæ ponitur in morbis acutis turgentibus, fatendum eſt, Hippocratis & Galeni ſententiam eſſe, materiam in pleuritide furioſam eſſe.

Nec dici poteſt, ꝙ in loco ſuperius adducto, in illis uerbis, non loquatur Galenus de cura morborum acutorum turgentium, quoniam, licet hoc omnibus apertiſsimum ſit, nec alia indigeat probatione, tamen pro maiori ſatisfactione, ac rei declaratione, fortiſsimam adducam demonſtrationem, ex qua neceſſario concludetur, Galenum eo in loco ſermonem habere de cura morborum acutorũ turgentium, & non aliter: Quod probo, quoniam ſuperius ubi Galenus uerba facit de iam ægro
,, tantium cura, inquit, In morbis quidem diuturnis ſemper eorum
,, maturatio expectanda eſt, In acutis uero, quum turgent, per
,, initia medicamentis uti licet: Arguo modo ſic, In acutis morbis licet uti medicamentis, tantummodo, quando turgent: Ergo quando non turgent, non licet uti medicamentis. Aſſumptum patet, tum ex hoc loco, tum clarius in primo de Criſibus nono, ubi de turgentibus morbis uerba facit: Ibi enim inquit, In hijs
,, enim tantummodo rationabiliter quiſpiam a principio pharmacis

*macis utetur, quum simul adiuuantem ad faciliorem attractio- ,,
nem habeat affluentium humorum motionem etc. Idem in se- ,,
cundo prorrheticorum cōmento.xxxyi. Hoc igitur probato,
fateri necesse est, Galenum intelligere, & loqui de eisdem mor
bis acutis turgentibus, quando dicit, Quum igitur non acutus ,,
modo morbus fuerit, sed etiam cum febre uehementissima, ab- ,,
stinendum est a purgantis medicamenti exhibitione etc. Vn-
de non potest dici, q intelligat de morbo acuto simpliciter, in
quo materia non turgeat, quoniam probatum iam est, q in mor
bis in quibus materia non turget, non debemus in principijs
morborum uti medicamentis purgantibus: Et ideo superfluū
esset iterum repetere, q in morbis acutis simpliciter, non debe
mus uti medicamentis, quum id superius dixerit.*

*Prohibet autem Galenus in hoc casu medicamentum pur
gans, & magis inclinat in sectionem uenæ, non ratione peccan
tis humoris, cui ob eius motum conuenit talis purgatio per me-
dicamenta, sed ratione febris uehementissimæ, cui non conue-
nit huiusmodi purgatio, sed potius euacuatio p uenæ sectionē,
ut pluribus in locis a me superius adductis testatur Galenus.*

*Præterea, Galenus in cōmento lxxyi. quarti de ratione ui-
ctus, ubi author ille de pleuritidis cura, uerba facit, exami-
nans, An solo quarto die liceat medicamentis uti, inquit,
Quarto uero die medicandum indistincte pronunciauit, neque ,,
enim inter morbi initia, aliquod remediorum huiusmodi ægro ,,
iniungere oportet, desumpto a numero dierum scopo, sed quod ,,
Hippocrates recensuit est exequendū, nam, uel statim a prin- ,,*

G

,, cipio, priusquàm in partem aliquam confirmentur humores,
,, medicandum, uel postea, quum ad maturitatem perducti fuerint. Arguo modo sic, uel in pleuritide materia turget ex sententia Hippocratis & Galeni, quum ex superioribus uerbis constet, statim ab initio medicandum esse, uel dicendum est, Hippocratem & Galenum sibi ipsis aduersari, ut clarũ est: Nam in superius adducto primo de Crisibus nono, inquit,
,, In turgentibus morbis tantummodo rationabiliter quisspiam
,, ab initio medicamentis utetur. Idẽ secũdo ꝓrrheticorũ.xxxyi. Quantum aũt sit absurdũ hoc dicere, aliorũ iuditijs relinquo.

Sed erit aliquis fortasse, qui uolens seruare & Hippocratem & Galenum a contradictione, nec concedens in pleuritide materiam furiosam esse, dicet, ꝙ in euacuatione, quæ fit in principio pleuritidis, pharmaco purgante, non euacuatur materia faciens pleuritim, sed ea tantum, quæ fluit, & nondũ facit morbũ, sed in posterum factura esset, nisi uacuaretur, quod inquiet non esse inconueniens, ĩmo maxime fieri debere.

Sed hæc responsio, licet sit magnorum uirorum, & uideatur aliquo modo seruare Hippocratem et Galenũ a contradictione, tamen iuditio meo, non uidetur satisfacere: quoniam cõmento decimo secundi de ratione uictus in principio, ait Galenus, Intentionem Hippocratis eo in loco esse, Ex eorum humorum inclinatione euacuationes facere, qui pariunt morbum, non autem dicit, qui in posterum facturi sunt morbum. Iccirco fateri necesse est, materiam in pleuritide, dum mouetur furiosam esse, si ex ea morbus fiat.

*Item aliquis instabit, inquiens, in pleuritide non posse materiam furiosam esse, hac ratione, quoniam in pleuritide materia ad unum determinatum locum mouetur, & inclinationem habet, quũ tamẽ de ratione materiæ furiosæ sit (ut in. viii. de cõpositione medicamẽtorũ: secundum locos patet) ut nullam habeat ad unam partem firmam inclinationem, & stationem. Cui respondendum arbitror, eam uere dici materiam furiosam in pleuritide, quæ dum est in motu, licet ad determinatum aliquem locum habeat inclinationem, nullam tamen firmam adhuc est assequuta stationem, aut locum, & præterea mordet, cruciat, & naturam irritat: Quod etiam in tuberculis ex calidioribus ortis humoribus, quæ in acutum attolluntur, euenit: Nam & ipsa, dum materia ad talem locum mouetur, dicuntur turgere, teste Galeno, sexto de morbis uulgaribus, sectione secunda, commento. xxx.*

*Hijs igitur declaratis, concludendum est, non sine ratione, Hippocratem in pleuritide dolore descendente ad inferiores partes, quæ sub septo sunt, uentrem nigro ueratro, uel peplio, in principio euacuasse, tum, ut seruaret legem ab eo positam in superius adducto aphorismo. xxi. primæ particulæ: Quæ ducere oportet etc. tum, quoniam in tali casu, materia erat furiosa, & turgens.*

*Eodem modo dicendum est etiam de Galeno, ꝙ & ipse eisdem rationibus consentit, in tali casu, non modo purgandum esse uentrem, cum medicamentis ibi positis ab Hippocrate, sed cum alijs etiam consimilis facultatis, & naturæ, Cuiusmodi est*

id, quod ex colocynthide paratur.

Sed iam soluamus oportet eius rationes, quibus intendit probare, non esse materiam furiosam in pleuritide.

Et primo, quoniam si in pleuritide materia furiosa esset, Galenus etiam quod febris uehemens fuisset, non tamen propterea elegisset, in tali casu, uenam potius secare, quam purgans medicamentum exhibere etc.

Ad hoc dico, quod si consideremus ea, quae dicuntur a Galeno in eodem commento, solutio huius argumenti ab eo posita est: Nam postea quam docuit, medicamenta ab Hippocrate posita, ueratrum scilicet nigrum, & peplium, facultatibus, & uiribus conuenire, subiungit: Cognoscere igitur hæc, & in memoria tenere nos oportet. sed non continuo medicamentis his in pleuritide debemus uti, in memoriam reuocantes aphorismum illum, ubi dicitur, In acutis passionibus raro, & in principijs purgantibus medicamentis utendum esse etc. Clara ergo Galeni solutio stat in hoc, quod ex sententia Hippocratis in adducto aphorismo, In morbis acutis raro debemus uti medicamentis purgantibus in principio, Et hoc duplici de causa, Primo, quoniam raro in principijs materia turget; Secundo, quoniam dato etiam, quod turgeat, cauendum est ab exhibitione pharmaci, quoniam non parum iminet periculi, in purgantis medicamenti exhibitione, quum omnia huius generis medicamenta sint potentia calida, febris uero ex sui ratione, non calefacientibus, & exsiccantibus, sed potius contrarijs egeat. Quum igitur proponat nobis Galenus, non solum acutum morbum cum turgente materia, uerum etiam cum uehementissima febre, Iccirco

ultan lam esse purgantis medicamenti administrationem præcipit, & potius uenæ sectionem faciendã suadet, ea nimirum ratione, quoniam & si minus auxilium, quã per purgationem sequatur, multo tamen securius est, tum ratione febris, tum ratione patientis, cuius natura non fuerit exacte cognita: Idcirco hijs duobus consentientibus .s. quũ febris non fuerit uehemens, & laborantis natura fuerit nota, non solum medicamenta ab Hippocrate posita asserit esse propinanda, sed & ipse proponit, ac addit aliud consimilis facultatis, quod ex colocynthide paratur. Propterea non est d cendum, ꝙ si in pleuritide materia furiosa esset, etiam ꝙ febris uehemens fuisset, non tamen propterea elegisset Galenus in tali casu, uenam potius secare, quã purgans medicamentum exhibere, quoniam (ut patet) non suadet Galenus uenæ sectionem in pleuritide, materia existente furiosa, & habente raptum ad inferiora, alia de causa, nisi ob uehementissimæ febris additionem, & patientis naturæ ignorantiam, Nos docens ꝙ ubi maximũ mortis imminet periculum, satius est debilioribus præsidijs, secure agendo prorogare morbum, quã periclitando potentioribus auxilijs, ægrum interficere.

Secundo, quoniam (inquit) in pleuritide licet materia ab uno membro ad aliud moueatur, non tamen propter hoc dicendum est, ꝙ ipsa turgens, aut furiosa existat, quũ ad esse materiæ furiosæ requiratur, non ꝙ ab uno tantum membro ad aliud moueatur, sed per uniuersum corpus, aut a mẽbris ad mẽbra defluat, modo .s. in unã, & modo in aliã corporis partem etc.

*Huic argumento licet satis superq; data fuerit a me superius solutio, adeo, ut non uideretur alia indigere solutione, tamen ut adhuc etiam res clarior appareat, Dico, q; re uera materia non dicitur turgere solum, quando per uniuersum corpus mouetur, aut a membris ad membra defluit, sed ultra hoc requiritur etiam, q; irritet naturam, & moueatur uersus loca excretionis, ut superius ex sententia Galeni demõstrauimus: Et hoc modo in pleuritide materia erit furiosa, quũ irritet naturã, & moueatur uersus loca excretionis, ut manifestũ est.*

*Nec obstat, q; dicatur, q; in pleuritide materia ab uno mẽbro ad aliud mouetur, non autem per uniuersum corpus, aut a membris ad membra defluat, quoniam non intelligenda est hæc propositio, eo modo, quo fortasse ipse existimat, q; .s. in motu uniuersum corpus occupetur: Quoniam id fieri nequit, q; .s. actu simul, per uniuersas totius corporis partes materia furiosa moueatur: Sed intelligenda est, q; per omnes corporis partes, & successiue, potest moueri, puta, uel sursum, uel deorsum, uel ad dextrum latus, uel ad sinistrum, uel ante, uel retro: Et hoc pacto uerum erit, q; in pleuritide materia mouetur, hoc est potest moueri, per uniuersum corpus, quia, quandoq; sursum, quandoq; deorsum mouetur, quandoq; in dextram partem, & quandoq; in sinistram, ut cuiq; (licet non maxime exercitato medico) licet uidere.*

*Nec uerum est etiam, q; ad esse materiæ furiosæ requiratur, q; semper a membris ad membra defluat, non autem ab uno membro ad aliud: Quoniam (ut superius diximus,) si*

recte intelligatur sententia Galeni, hoc nihil refert, uel dicamus ab una particula ad aliam, uel (ut lubet) a membris ad membra: Et quod hoc sit uerũ, apparet ex Galeno, qui quandoque dicit, ἐκ μορίων εἰς μόρια, quandoque uero, ἄλλο εἰς ἄλλο μόριον, quemadmodum facit in sæpius adducto libro, Quos purgare oportet etc. Inquit enim ὀργᾶν δ' οἱ χυμοὶ λέγονται, ὅταν ἐν κινήσει σφοδροτέρᾳ γενόμενοι, καὶ μεταῤῥέοντες ἀπὸ μορίων εἰς μόρια, κατὰ τὴν ἀρχὴν τοῦ νοσήματος ὀχλῶσι τὸν ἄνθρωπον: Hoc est, turgere autem dicuntur humores, quum motu uehementiore agitati, & a particulis in particulas transfluentes, per morbi initia molestant hominẽ etc. Parum uero infertius, inquit, χρὴ δ' εἰδέναι, ὡς αἱ μεταῤῥύσεις, ἄλλοτε εἰς ἄλλο μόριον τῶν χυμῶν ὀλιγάκις γίνονται, τὰ δὲ πλείω ἡσυχάζει καθ' ἕν τι μόριον: Hoc est, scire autem oportet humorum transfluxiones alias in aliam particulam raro fieri, maiore autem ex parte in particula una aliqua quiescere: Idem præcise habetur primo prorrheticorum. xij. Et quod hijs in locis dicit Galenus, Idem in omnibus alijs locis, ubi de turgente materia uerba facit, intelligendum est.

Non erit ergo uerũ, quod semper in textu græco habeatur, quod illa sit materia turgens, seu furiosa, quæ ἐκ μορίων εἰς μόρια, hoc est, ex membris ad membra mouetur, quia hoc etiam (ut probatum est) non modo in pluris numero, sed in singulari etiam reperitur: neque hoc uariat sententiam Galeni, si recte intelligatur: talisque consideratio (sicut dictum est) potius pertinet ad grammaticum quam ad medicum.

Tertio, quoniã (inquit) in pleuritide non adsunt ea signa

*materiæ furiosæ, quæ superius a me dicta sunt, q. s. quũ laborans quispiam acuta febre correptus, statim inter initia morbi, adeo ægre ipsam fert, ut neq; quiescere ualeat, neq; loco stare, quinimmo brachia huc atq; illuc, & crura iactat, (nisi hoc ex dolore aliquo, aut ex mollitie laborantis eueniat) In eo*
13 *(inquit) sciendum est, turgentes esse humores, ac furiosos. Et hæc sunt signa materiæ turgentis ab eo posita, de quibus neq; unus reperiatur (quem hactenus ipse uiderit) qui aperte aliquid scripserit.*

*Ad hoc Dico, q. & si non adsint in pleuritide signa hæc ab ipso tam exquisite posita de materia furiosa, sufficit tamen, q. adsint ea, quæ apertissime ponuntur a Galeno, quæ & a me sæpius, & ab alijs infinitis medicis, in uera pleuritide uisa sunt, & obseruata: Et quoniã de hijs abunde superius egimus, Iccirco non amplius in hac re cõmorabor.*

11 *Sed quoniam etiam superius, in suo tractatu de materia furiosa, præter supradictas rationes, adduxit etiam duas alias, ad idem probandum. s. in pleuritide nõ dari materiam furiosam, Iccirco ne uidear aliquid de industria prætermisisse, has etiam diluendas existimaui.*

*Prima autem eius ratio est, Quod materia (inquit) pleuritim faciens, atque alias internas inflammationes, nequaquam furiosa sit, probatur ex dicto Galeni in cõmen. xxiiij. primæ particulæ: Vbi expresse dicit, q. ideo raro conuenit inter initia acutorum morborum purgatorijs medicamentis uti, quia rarum est, q. materia turgeat, siue sit furiosa: Idem etiam dixit*

*Hippocrates,*

Hippocrates, In fine aphorismi.xxij. In illis uerbis, Plurima uero nõ turgent, Quod non esset, si materia, quæ pleuritim, & alias internas inflãmationes facit, furiosa existeret, quũ ta les passiones frequentissime accidant, ut unicuiq; perspicuũ est.

Ad hoc dicendum est, ꝙ Hippocratis & Galeni senten tia uera est, si recto modo intelligatur, & materia pleuritim faciens, & plures alias internas inflammationes turget, & furiosa est: quoniam licet in pleuritide, & alijs quàm plurimis internis inflammationibus, materia sit furiosa, non est dicendum propter hoc, materiam sæpe furiosam esse, & per consequens, uerba & Hippocratis & Galeni falsa esse: quoniam ea ratione materia dicitur raro turgere, quoniam paruus ad modum numerus datur morborum, in quibus materia turget, infinitus uero penè numerus est eorum, in quibus materia quiescit, & firma est. Iccirco dixit Hippocrates, Plurima uero nõ turgent, Quasi dicat, In pluribus uero morbis non turgent: In comparatione ergo, & respectu aliorum morborum, in qui bus materia quiescit, Hippocrates & Galenus materiam ra ro furiosam esse dicunt, & uerum dicunt, quoniam, & si re uera frequenter accidat pleuritis, in qua turget materia, multo tamen frequentius, & sine ulla cõparatione, accidunt alij mor bi, in quibus non turget materia, quemadmodum unusquisque medicus, qui etiam mediocriter operetur poteſt testari: nam si unã curabit pleuritim, uel alium quempiam morbum, in quo materia turgeat, curabit centum alios, in quibus materia erit firma, & non furiosa, Ita ut ex tali respectu, recte dici possit,

*materiam raro furiosam esse.*

*Secunda ratio eius est, quòd nec aliquis ex illustribus medicinæ doctoribus inuenitur, qui inter initia prædictorum morborum, ad ualida illa, & fortiter purgantia medicamenta deuenerit, quæ in materia furiosa commendantur.*

*Ad hoc dico, ꝙ hæc ratio falsa est, quoniam & Hippocrates & Galenus medicorum principes, in pleuritide (quem admodum & ipse fatetur in principio huius terniæ argumentationis) utitur Helleboro nigro, & Peplio, quæ tum purgantia, tum fortia etiam medicamenta sunt, quibus utitur etiam in morbis acutis turgentibus, ut superius demonstratum est: Idem Paulus Ægineta, Aetius, & omnes ferè, qui & Hippocratis & Galeni doctrinã sequuti sunt: Immo & Auicenna ipse, in cura pleuritidis, in exhibitione purgantis medicamenti, Galeni doctrinam sequutus est.*

*Non erit ergo uerum dicere, ꝙ nullus ex illustribus medicinæ doctoribus inueniatur, qui inter initia prædictorũ morborum, ad ualida, & fortiter purgantia medicamenta deuenerit. Quòd, si forte intelligat de medicinæ doctoribus illustribus huius tempestatis, negarem etiam hoc, præsertim de hijs, qui Galenum & Hippocratem sectantur.*

## QVARTVM ARGVMENTVM.



VARTVM Eius argumentũ, sumptum est ab exemplo Galeni, in libro primo de compositione medicamentorum secundum locos,

Ibi enim (inquit,) Nulla præcedente concoctione,alia uẻ præparatione, Galenus in Alopecia,& manantibus capitis ulceribus,purgantia medicamenta dedit.Idem etiam fecit libro secundo, in dolore capitis: Item.xiii. de ratione medendi cap.xiii. Quosdam ait se uidisse,quibus inflammatio in oculis ceperat, qui sola per uentrem purgatione, uno die sanati sunt etc. Ex quibus exemplis concludit, ꝙ si Galenus in prædictis curationibus materiam non concoctam,neque turgentem euacuauerit, & nō aberrauerit, æque bene etiam nobis licebit,materiam non concoctam,neque turgentem a principio morbi cum purgante medicamento minorare,sicut & ipse Galenus fecit.

Amplius (inquit,) ea ratione, qua in febribus,ante materiæ concoctionem purgatio prohibetur,nisi illa turgens,aut furiosa sit,eadem ratione,uidetur in aliis etiam morbis prohibenda, Eadem enim incommoda uidentur sequi in hiis morbis,quæ eueniunt in febribus: Hiis tamen non obstantibus, Galenus istis purgationibus usus est: Ergo constat (inquit,) ꝙ & nos eis etiam uti possimus,ac longe frequentius, ac tutius: frequentius quidem, quum hac nostra tempestate, humana corpora ualde magis excrementis abundent, quàm facerent temporibus Hippocratis & Galeni: Tutius uero, quum apud nos, purgantia plurima medicamenta in usu sint, quæ neque insigniter adeo calefaciunt, ueluti illa quibus antiquitas uti consueuerat, neque adeo etiam uiolenta sunt, atque corpora conturbantia,quem admodum illa erant.

## SOLVTIO.



AD HOC Respondendo Dico, quod argumentum hoc nullum est, & non est ad propositum: quoniam in hijs curationibus ab eo superius adductis, in quibus Galenus in principio usus est huiusmodi purgationibus, præter id, quod in eis nulla aderat febris, (quemadmodum & ipse fatetur,) Galeni etiam intentio non erat, ex talibus purgationibus, euacuare materiam ipsam facientem morbum, sed uniuersalem totius corporis purgationem moliri, (quemadmodum in huiusmodi affectibus fieri debet,) ne humores mali, & multi, qui fortasse in corpore reperiuntur, ad locum læsum confluant, & morbum augeant: Et hoc non inconuenit facere, quemadmodum etiam accidit in sanis, in quibus ad conseruandam sanitatem uniuersum corpus euacuamus: Et de tali purgatione non est quæstio: quoniam in talibus, quando uniuersum corpus purgatur, non euacuamus materiam crudam, sed concoctam, quoniam in urina semper apparet aliqualis concoctio: Ita in proposito, in adductis casibus, ubi non aderat febris, nec materia faciens morbum euacuabatur, Galenus recte poterat, & debuit uti purgatione totius corporis in principio, ac si fuissent corpora omnino sana. Postea uero facta concoctione materiæ facientis morbum, ipsam euacuare, iuxta aphorismi sententiam, Cōcocta medicari etc. Quoniam Hippocratis regula in eo aphorismo, intelligitur de euacuatione materiæ facientis morbum, & quæ

*ſtat ſub forma cauſæ coniunctæ, quæ purgari non debet, niſi concocta, aut furioſa fuerit, & de tali materia quæſtio noſtra eſt, non autem intelligitur de materia, quæ ſtat ſub forma cauſæ antecedentis, quemadmodum eſt in dictis caſibus per eum adductis. Et propterea patet, quod eius argumentum non eſt ad propoſitum, ſed potius peccat per fallaciam æquiuocationis materiæ.*

*Quòd autem Galenus uniuerſalem intendat totius corporis purgationem, non autem humoris facientis morbum, ex eius uerbis, in eiſdemmet locis apparet: In capite enim de Alopecia, inquit, Quare in iſtis primum totius corporis purgationem adhibebis, aut pharmaco pituitam ducente exhibito, aut quod bilem pallidam, aut nigram trahit, coniectura redundantis humoris ex colore cutis facta etc. Cæterum poſt totius corporis purgationem, apophlegmatiſmis pituitam a capite detrahere præſtat, Atque deinde localibus auxilijs uti: oportet enim, uelut in alijs, ſic & in hijs, affectui mederi etc. Item in capite de achoribus, Idem præcipit faciendũ, inquiens, Manifeſtum igitur eſt, euacuare oportere humores affectionem ipſam operantes, Qui & ſi influant amplius, prohibendus primum eſt ipſorum influxus, per capitis euacuationem, præmiſſa totius corporis purgatione, uelut in alopecijs eſt proditum etc. Vnde ex hijs apertiſſime conſtat, quod purgationes a Galeno factæ, in hijs adductis curationibus, non ſunt ad euacuandam materiam, de qua eſt quæſtio, ſed ad uniuerſi corporis euacuationem faciendam, præſertimq́ue, quum nulla adſit*

febris: Et hanc nos etiam concedimus, quoniam (ut dictũ est) in huiusmodi corporibus, semper apparet aliqua materiæ portio, quæ concocta est, & per consequens potest educi: Vnde quemadmodum Galenus in dictis casibus, in principio, medicamentis usus est ad uniuersalem totius corporis euacuationem, non autem ad euacuationem materiæ facientis morbum, Ita æque bene & nobis licebit, in hijs, & similibus curationibus, uti talibus uniuersalibus purgationibus: Et non modo licebit, sed si uelimus recte operari, necesse erit, talibus in principio uti purgationibus, ut sæpius, & in methodo medendi, & alijs in locis docuit Galenus: Nec propterea materiam non concoctam, aut non turgentem euacuabimus. In febribus uero, id fieri nequit, quum materia putrescat, uel intra uenas, uel extra, nec possit euacuari totum, quin euacuetur materia faciens febrem: Iccirco in febribus nunquam exhibendum est pharmacum in principio, nisi materia turgente aut concocta.

Nec obstat quod dicatur in contrarium, ꝙ hæc responsio (ꝙ .s. in talibus morbis nulla aderat febris, & per consequens potuit Galenus purgantia medicamenta dare) minime uidetur hanc difficultatem tollere, ea ratione, quoniam Hippocrates in eo aphorismo, Concocta medicari etc. aut de omni purgatione, in quouis morbo fienda loquutus est, aut de ea tantum, quæ febribus debetur: ꝙ si uelimus dicere, ꝙ ibi de illis tantum purgationibus loquatur, quæ in febrilibus morbis fiendæ sunt, esset Hippocrates diminutus, quum alibi nusquam inueniatur, regulam nobis dedisse, de purgationibus in alijs morbis a febri-

bus fiendis, præterquàm in antedicto aphorismo: Si uero fateamur, (sicuti rei ueritas est) ꝙ in eo aphorismo Hippocrates in uniuersum loquatur, de omnibus purgationibus, in quouis morbo fiendis, responsio nulla est.

Ad hoc dico, ꝙ argumentatio hæc non est ad propositū, & iam ex superioribus soluta est, quoniam in adducto aphorismo, Hippocrates loquitur de omnibus purgationibus, quæ in quouis morbo fieri debent, nec propter hoc sequitur, ꝙ responsio superius data, nulla sit, quoniam Hippocrates ibi sermonem habet (ut dixi) de omnibus purgationibus materiæ facientis morbum, quæ nunquàm debet euacuari per pharmacū, nisi concocta, aut furiosa fuerit: nihil tamen prohibet, quin possimus euacuando uniuersum corpus in principio, euacuare materiam, quæ non facit morbum, sed in posterum, ex eius defluxu posset augere morbum, quæ (ut dixi) non est omnino cruda, sed potius concocta: Et hoc modo, nec Hippocrates est diminutus, nec responsio data nulla est.

Quod autem ulterius dicitur, ꝙ ea ratione, qua in febribus ante materiæ concoctionem purgatio prohibetur, nisi illa turgens, aut furiosa sit, eadem ratione, uidetur in alijs etiam morbis prohibenda: Sed sic est, ꝙ Galenus hoc non obstante, purgationibus istis in alijs morbis usus est: Ergo constat, ꝙ & nos eis etiam uti possimus.

Dico concedendo assumptum, & confirmo illud esse uerū, ꝙ.s. ea ratione, qua in febribus ante materiæ concoctionem purgatio prohibetur, nisi illa turgeat, eadem ratione, in alijs

*etiam morbis prohibenda est: Et hæc est uera mens Hippocratis & Galeni: Sed falsum est, ꝙ Galenus in alijs morbis, a febribus, ante materiæ concoctionem, aut materia non existente furiosa, in morbi principio purgantibus medicamentis usus sit, quoniam in curationibus superius adductis (ut probatum est) non intendit Galenus curare morbum, aut materiam facientem morbum, sed tantum uniuersalem totius corporis euacuationem facere, Qua facta, & materia iam concocta, tunc ad localia demum deuenit præsidia: Iccirco recte operatus est, & quemadmodum faciendum præcipit.*

*Falsum est etiam, ꝙ possimus in præsentia frequentius, ac tutius in morbi principio medicamentis purgantibus uti, quàm antiquorum temporibus, quoniam concesso adhuc, ꝙ hac nostra tempestate humana corpora magis excrementis abundent, tum ex inordinato uictu, tum ex modico frictionum usu, uomituum, balneorum, & exercitiorum, quibus antiquitas utebatur, non tamen propter hoc dicendum est, ꝙ frequentioribus purgationibus nunc utendum sit, quàm temporibus Hippocratis & Galeni, quoniam ex hijs potius concluditur oppositum, scilicet ꝙ propter hoc, rarioribus purgationibus utendum nunc esset: Assignans enim Galenus rationem in eo aphorismo, In acutis passionibus raro etc. Cur Hippocrates dixerit, Raro pharmacis utendum, inquit, Quoniam raro materia turget, & dato etiam ꝙ turgeat, raro est æger ad purgationem paratus, quia raro uiæ sunt paratæ, tum propter humores crassos, ac multos illas obstruentes, qui ex inordinato uictu gignuntur,*

*tur, tum ex modico usu frictionum, uomitum, balneorum, & exercitiorum, quibus corpora salubriora redduntur: Propterea ex hoc potius concludendum est, rarius hoc tempore exhibendas esse huiusmodi purgationes in principijs, quàm antiquorum temporibus: Et maxime ubi materia non turgeat, quoniã si materia etiam turgente, in qua naturam habemus expulsionem materiæ adiuuantem, raro suadet medicamentis utendũ, multo magis in morbis, in quibus materia non turget, & cruda est, ab huiusmodi medicamentis abstinendum est: quoniam, quum in hijs uiæ non sint paratæ, nec habeamus naturam adiuuantem, si medicamentum purgans exhibeamus, non poterunt humores educi, unde magis agitabimus illos, & magis calefaciemus corpus, & morbum augebimus:*

*Falsum est etiam eadem ratione, ꝙ illis tutius uti nunc possimus, quàm facerent antiqui medici: quoniam si recte medicamenta purgantia examinemus, eadem sunt in præsentia, quæ antiquorum temporibus reperiebantur, & eadem tunc erant, quæ nunc reperiuntur: Idem est enim Scamonium, Colocynthis, Veratrum utrunq;, Elaterium, Agaricum, & huiusmodi medicamenta, quæ purgãtia, & electiue educentia sunt, quæ erant etiam antiquorũ temporibus, & fortasse tunc etiam melius corrigebantur, quàm nunc: Propterea dicendum est, ꝙ tutius antiquitas illa poterat ipsis uti, quàm possimus in præsentia. Quòd si dicatur, nos in usu habere fistularem Cassiã nigram, Mannam (ut dicunt,) Tamarindos, & huiusmodi talia, quibus antiquitas non utebatur: Dico talia minime esse*

*medicamenta electiue purgantia de quibus eſt quæſtio, ſed potius medicamenta lenientia, quæ materiam tantum educunt, quæ in inteſtinis reperitur: Quòd ſi in eis etiam inſit uis aliqua humores aliquos educendi, illa tam exigua eſt, ut uix percipiatur, nec materiam niſi concoctam educere poſſunt. Iccirco materiam non concoctam minime euacuant, ex qua potiſsimum morbi oriuntur.*

*Quantum autem ualeant ea, quæ ab eo ſcribuntur de pur-*
15 *gantibus medicamentis, Quum ſint omnino dictis Galeni contraria, ut cuiq; patere poteſt, aliorum iuditijs examinanda relinquam.*

## QVINTVM ARGVMENTVM.



QVINTVM Eius argumentum ſumptum eſt ex authore libri quarti de ratione uictus in morbis acutis, tex. lxiiii. Inquit enim, ꝙ author libri quarti de ratione uictus in morbis acutis, a principio febrilis morbi, & ante materiæ concoctionem, nulla etiam ibi exiſtente materia furioſa, murmurante uentre, & bilioſis exiſtentibus alui excrementis, dicit purgandum eſſe mediocriter cum Scamonio: Et Galenus etiam ibi in cōmento, hunc curandi modum admittit: Ex quibus maniſeſte patet, ꝙ tam illius libri author, quàm Galenus concedit, & uult materiam interdum eſſe cum purgante medicamento minuendam, dato quòd neque concocta, neque etiam furioſa ſit.

Quod autem (inquit) non poſsit authoritas hęc ad tur-

gentem materiam applicari, patet, tum quia non uult totam materiam educi, sed tantum mediocriter purgari, quod idem est quod minorare: materia uero furiosa, nequaquàm minoranda est, sed tota educenda (ut probatum est,) tum, quia pro minoratione illius materiæ, author ibi uult, quòd hæc duo signa adsint, uidelicet quòd uenter murmuret, & quòd biliosa sint alui excrementa, Quibus signis clarum est (inquit,) ꝙ minime indigeret, si de materia furiosa sermonem haberet, quum illa, siue prædicta signa adsint, siue non, perpetuo uenit euacuanda.

## SOLVTIO.



*HVIVS Argumenti solutio, difuse superius a me data est, in confutatione tertiæ argumentationis, ubi de mente Galeni demonstrauimus, quare in pleuritide dolore descendente ad eas partes, quæ sub septo transuerso sunt, Hippocrates in principio uentrem nigro ueratro, aut peplio purgandũ præcipit, Idq; duabus de causis ab Hippocrate fieri diximus, tum quia materia deorsum fluit, Iccirco per uentrem purganda est, Iuxta præceptum.xxi.aphorismi primæ particulæ: Quæ ducere oportet, Quo maxime natura repit per loca conferentia eò ducere: tum quoniam materia in eo casu furiosa est, Iccirco in principio euacuanda est. Idem dicendum est etiam hoc in loco, ꝙ ideo author libri quarti de ratione uictus, uentre murmurante, & biliosa deijciente, purgandum esse mediocriter in*

principio cum Scamonio iubet, tum quoniam materia deorsum uergit, & furiosa est, tum quoniam medicamento bilem expurgante indiget: Et eadem etiam ratione, Galenus ibi in cõmento, hunc curandi modum admittit, tanquàm conuenientissimum, & ab eo sæpius antea traditum, ut ex ipsius uerbis in eodem
» cõmento apertissime uideri potest: Inquit enim, Et curatio hæc
» nihil cõmune habet, præter ea, quæ sæpius antea sunt ennarrata etc. Quæ autem sint ea, quæ antea sint ennarrata, decla
» rat dicens, Quoniam aut considerada, quæ in uentre sunt,
» & quum hæc per murmurationes cognita fuerint, purganda
» esse: Quòd si biliosa etiam deorsum repant, Scamonium me-
» dicamentum biliosa expurgans, exhibet etc. Vnde ex hoc se ipsum declarat Galenus, quæ nam sint ea, quæ ante ab ipso ennarrata sint, quoniam .s. quum cognouerimus, ꝙ materia ad uentrem descendat, & per consequens, ꝙ furiosa sit, quum uersus loca excretionis moueatur, quod cognoscemus per eius murmurationem, tunc iuxta doctrinam prædicti aphorismi, Quæ ducere oportet etc. talem materiam in principio per medicamenta expurgabimus: Et quoniam diuersa materia, diuersum exposcit medicamentum purgans, Icciręo inquit, ꝙ si biliosa etiam deorsum repant, Scamonium exhibendum est, cuius facultas est, ut biliosa expurget, quasi dicat, ꝙ si etiam materia fuerit alterius rationis, aliud etiam accõmodatum medicamentum talem materiam expurgans, exhibendum est: Et hoc modo patet, Quare author illius quarti, in principio febrilis morbi, & ante materiæ concoctionem, uentre murmurante, & bi-

*liosis existentibus alui excrementis, cùm Scamonio purgandum esse dicat, & Galenus ei consentiat.*

*Quod autem in hoc casu materia turgeat, manifestum est, tum ex superius a me declaratis, tum ex ipsius Galeni uerbis. Nec rationes ab eo adductæ, quibus conatur probare, ꝙ non possit authoritas hæc ad turgentem materiam applicari, roboris aliquid habent: imo potius eius positionem destruunt: Nã, ꝙ peccans materia mediocriter debeat expurgari, nos etiam hoc fatemur, & uolumus: non tamen propter hoc dicimus, ꝙ non possit esse materia furiosa, quoniam materia furiosa nequaquã sit minoranda, sed tota educenda, quod falsum est: quoniam iam superius abunde probauimus, ꝙ eductionis materiæ termini non sunt eradicatio, aut diminutio materiæ, sed patientis uirtus, ac tolerantia, quibus utitur Hippocrates: quoniam re uera hij sunt uniuersales termini, illi uero partiales, quorum non est scientia.*


*Quomodo autem sit intelligendum, uniuersam educi materiam furiosam, iam superius declarauimus.*

*Minus etiam ualet alia eius ratio, ꝙ. s. pro minoratione illius materiæ author ibi uult, ꝙ hæc duo signa adsint, uidelicet, ꝙ uenter murmuret, & ꝙ biliosa sint alui excrementa etc. quoniam hoc falsissimum est: Immo ut notauit Galenus in cõmento, primum signum positum est, ut cognoscamus materiam indigere purgatione per uentrem, quum deorsum fluat, iuxta sententiam sæpe adductã aphorismi, Quæ ducere oportet etc. Alterum uero, ut cognoscamus, quale medicamentum sit*

*exhibendum. Vnde quum biliosa deorsum repant, Scamonium, quod bilem expurgandi facultatem habet, exhibendũ præcipit.*

*Hijs igitur de causis a Galeno annotatis author ille signa illa duo posuit: nõ autem ut ipse subtilissime interpretatur pro minoratione illius materiæ.*

## SEXTVM ARGVMENTVM.



SEXTVM Eius argumentum, sumptum est ex Galeno, in octauo curatiuæ methodi cap.iiii. Vbi Galenus de febre illa Ephemera loquitur, quæ ex obstructione prouenit: Inquit enim, q in Ephemera febre Galenus ubi de parua obstructione, de mediocri, & de magna loquutus est, subiungit, q ubi febris ex pauca obstructione oritur in corporibus, in quibus uitiosus est succus, q illa inter initia quidem, similis diariis febribus est, protracta autem inclinatione, suspecta redditur: Quippe, nisi uitiosus succus pœnitus transpiret, necesse sit, ipsum a putredine corripi, ac propterea, ut ille transpiret, maiore iam auxilio (ait) opus esse, ac consequenter, mittendum esse sanguinem per uenæ sectionem ætate, ac uirtute consentientibus, etiam q plenitudinis signa minime adsint. Idq ea ratione faciendum, quia melius sit, euacuata maiore mali succi parte, ad detergendas obstructiones accedere, quum alioqui metus sit, ne obstructiones ipsæ magis impingantur, si priusquàm euacuaueris, ad aperiendas illas accesseris, quum illę aperiri habeant per medicamenta detersoriam potestatem habentia, quæ uel

cuti exterius apponenda sunt, aut intra corpus assumēda etc. Postea concludens ait: Vt igitur tuta medicamentis hiis allatio sit, utilissimum est corpus euacuare etc. Ex quibus uerbis (inquit) manifeste patet, quod Galenus uult materiam esse minorandam, priusquā ad aperientia deueniamus, pro inhibenda humorum putredine: Quæ res, si in diariis febribus obseruāda est, multo etiam magis in ipsis putridis obseruari debet, quum in eis maiores obstructiones sint, q̄ in diariis.

Quòd autem per medicamentum purgans, & non per uenæ sectionem talis euacuatio fieri debeat, hac potissimum ratione probat, quia (inquit,) Et si Galenus hic de sanguinis tantum missione expresse loquutus sit, tacite tamen de illa etiam minoratione, quæ cum purgante medicamento efficitur, mentionem facit, ac longe etiam magis, q̄ de ea, quæ per uenæ sectionem fit, quod hiis rationibus comprobat.

Et primo quidem, quia ratio, quam hic Galenus assignat de minoratione materiæ, aut uera est, aut nō: Si non, leuis homo fuit Galenus: Si autem uera est, illa magis tenet, in ea minoratione, quæ cum purgante medicamento fit, quàm ea, quæ per uenæ sectionem efficitur, quum minorantia ipsa medicamenta effatu dignam peccantium humorum quantitatem expurgare ualeant, non sic autem uenæ sectio, quæ parum aut nihil de malis ipsis humoribus a sanguine alienis educere potest.

Secundo (inquit,) ponamus casum, in quo non liceat, aut propter ætatem, aut propter uirtutem, uenæ sectionem adhibere, in tali casu, si materia per rationes a Galeno hic assignatas minoranda est, nulla alia uia minorari poterit,

præterquàm per purgantia ipsa medicamenta, quum Galenus in quarto de Tuenda ualetudine, ubi propter debilitatem negat uenæ sectionem, purgantia mediocriter medicamenta concedit.

Tertio, ubi (inquit) multi mali humores in eo laborante sint, aliqua quidem crassitie peccantes, quę tamen non plurima sit, non poterunt illi, pro maiore sui parte, per uenæ sectionem educi, ut cuiq; uel minimo etiam medico patere potest. Si ergo minorandi sunt, necesse est, uelimus nolimus, fateri, ꝙ per purgantia ipsa medicamenta minorandi sint.

Quarto, si Galenus de minorante medicamento nihil dixit, hoc ideo fecit, quoniam in hoc loco, eam sequutus est Aristotelis sententiam, in qua dicitur, Si de quo minus uidetur inesse, & inest, ergo & de quo magis. Ac propterea, quum hæc ratio sua de minoratione materiæ facienda, minus uideatur tenere in minoratione illa, quæ per uenæ sectionem fit, quàm in ea, quæ per purgantia medicamenta efficitur, ob id satis illi fuit, de uenæ tantum sectione, aperte loqui, quum ex consequenti, de minoratione illa etiam, quæ cum purgante medicamento fit, res ipsa magis nota esset.

Quinto (inquit,) ꝙ neque Galenus ex toto conticuisse uidetur, de purgantibus etiam medicamentis aliquid innuere, in illis uidelicet uerbis, ubi ait, " Vt igitur tuta hiis allatio, & hiis, quæ extrinsecus adhibentur attractio fiat, " utilissimum est corpus euacuare etc. Nam in textu græco " dixit, κενῶσαι, hoc est, euacuare, non autem phlebotomare, quo.s. de utraq; euacuatione intelligendum illud esset.

Sexto (inquit,) Hanc eandē sententiam uisus est etiam

Auicenna

Auicenna sequi, prima quarti, tractatu primo, cap. xxxiii. de cura febris ephemeræ ex opilatione, in quo bis repetit, quod in tali febre, adhibenda est quanto citius, & phlebotomia, & euacuatio.

## SOLVTIO.



*RÆCLARVM Profectò, ac ingeniosissimum argumentum est hoc, quod tantum abest, ut eius opinionem comprobet, ut potius eam tollat, ac funditus eruat. Et licet alia responsione non uideretur indigere, quum tam clare, & tam aperte Galenus in hac parte, contra istius positionem loquatur, ut nihil amplius desiderari possit, nec aliquo ingenio interpretari, nisi glosetur, eo modo, quo interpretabatur etiam ille, Mihi aquam, Mihi, idest, Tibi, Aquam, idest, Vinum sine aqua: Eodem modo, ubi Galenus præcipit sectionem uenæ in euacuatione, interpretetur, pro sectione uenæ, idest, medicamento purgante uti, Quasi quod Galenus, si uoluisset etiam euacuationem fieri debere medicamentis purgantibus, id nesciuisset expresse dicere, non semel tantum, bis ue, aut ter, sed millies etiam, quemadmodum in hijs casibus, in quibus euacuationem per uenæ sectionem fieri præcipit, facere consueuit. Tamen ne uidear subterfugere, suis etiam istis rationibus respondebo.*

*Primum ergo fundamentum eius falsissimum est, quia falsissimum est, quod Galenus nec tacite unquam, nec expresse,*

in tali casu loquutus sit, aut uoluerit, talem materiam in principio minorandam esse medicamento aliquo, nisi post eius euacuationem per sanguinis missionem, ut passim per omnes eius libros, ultra præsentem locum, uideri potest. Nec adeo Blesus, Breuis, aut obscurus fuit Galenus, ut si aliquando de industria, in aliquo loco, in eius uerbis, aliquid prætermiserit, illud alijs in locis, aut saltem in una determinata parte, non aperte adeo declarauerit, ut facile ab omnibus eius intentio possit intelligi, sine istis tacitis mentionibus. Vnde mea quidem sententia, dicere, Galenum uelle in hoc loco, talem materiam, in principio, purgante medicamento minorandã esse, nihil aliud est dicere, quàm Galenum sibi ipsi non constare, & oppugnantia dicere, quum semper, & in omnibus ferè suis libris declarauerit, maximeq; in eo libro quem Excellens iste nuperrime interpratatus est, de Crisibus, libro primo, cap. nono, ubi ait, Nunquàm medicamentis in principio utendum esse, nisi materia turgente. Quantum autem sit conueniens, hoc de Galeno dicere, aliorum iuditijs relinquo.

Nec solum est intelligenda propositio hæc, de medicamentis (ut ipse asserit) eradicatiuis, quæ nunquàm apud Hippocratem aut Galenum reperiuntur, sed de alijs etiam omnibus medicamentis, siue minoratiuis electiue ducentibus, siue quo uis modo reperiantur: quoniam ut apertissime constat, in pluribus Galeni locis, præcipueq; in adducto Galeni capite, nõ modo minoratiua hæc medicamenta electiue ducentia, ante uenæ sectionem prohibet, ne incommoda, quæ ex medicamenti pur-

*gantis administratione ab eo narrata proueniunt, subsequantur, uerum & aperientia ipsa, quæ omnium medicamentorum debilissima sunt, ante sanguinis missionem, non exhibenda præcipit. Quo fit ut ex hijs recte concludere possimus, Galenum nec tacite unquàm, nec expresse de tali minoratione, quæ cum purgante medicamento fit, fecisse mentionem.*

*Et propterea dico, primam eius rationem, ad illud probandum falsam esse, quoniam falsum est, quòd melius possimus humores euacuare, seu (ut ipse ait) minorare, per purgantia medicamenta minoratiua, quã per uenæ sectionem: tum, quoniam (ut probatum est) non modo, in tali casu non conueniunt, sed maxime prohibentur: tum, quoniam superius abunde demonstrauimus ex mente Galeni, pluribus in locis, sicuti etiam in præsenti parte declarantur a Galeno incõmoda plurima, quæ in purgatione per pharmacum, in morbi principio, ante materiæ concoctionem facta, proueniunt, quorum nullum in euacuatione per sanguinis missionem accidit. Vnde mea quidem sententia, maxime reprehendendus esset Galenus, si melius possent humores in morbi principio euacuari per pharmacum, quàm per uenæ sectionem, quòd semper ita aperte suaserit, ac præceperit euacuandos esse per uenæ sectionem, nunquàm autem per purgans medicamentum.*

*Quod autem dicit, ꝙ minorantia ipsa medicamenta effatu dignam peccantium humorum quantitatem expurgare ualent, non sic autem uenæ sectio, a me iam superius reprobatum est. Iccirco ne uidear, & ego, eandem semper cantare canti-*

*lenam, satis mihi erunt in præsentia ea, quæ a me superius in prima argumentatione dicta sunt in hac materia.*

*Ad secundam eius rationem Dico, quod in tali casu, si non licebit, aut propter ætatem, aut uirtutis debilitatem, in principio materiam euacuare per uenæ sectionem, multo minus licebit eam purgare, medicamento aliquo purgante: Verum in eo casu, alijs utemur præsidijs, ut prouocantibus sudorem, aut lotium: Item utemur Vomitibus, Enegmatibus, Glandibus, Frictionibus, & huiusmodi talibus.*

*Illud autem, quod dicit, quòd Galenus quarto de Tuenda ualetudine, Virtute existente debili, dicit mittendum non esse sanguinem, sed deiectione mediocri utendum, Dico, non esse ad propositum, quum loquatur ibi Galenus de habente lassitudinem, non autem de ægro: Vnde Galeni intentio in eo casu, non erat curare morbum, aut materiam facientem morbum, sed uniuersalem totius corporis euacuationem facere, ut ipsum a prænunciato a tali lassitudine morbo, facilius tueretur. Idcirco uiribus imbecillioribus existentibus, mediocrem deiectionem suadet: Idque non sine ratione, quum in sanguinis missione recte facienda, secundum ueram eius doctrinam, tria potissimum consentiant necesse sit, ætas, uires, & morbi exigentia, quorum altero deficiente, non est mittendus sanguis. Proposita autem quæstio est de morbis, & de euacuatione materiæ facientis morbum, non autem de uniuersali corporis euacuatione, præsertimque in corpore, in quo non sit morbus, quoniam (ut superius dictum est,) fatemur & nos, uniuersa-*

lem sani corporis purgationem, fieri posse per mediocre medicamentum, quoniam semper in huiusmodi corporibus, apparet concoctio aliqua humorum in urina, praecipueq; ubi sanguis ex aliqua causa mittendus non sit.

Tertia etiam eius ratio iam ex dictis soluta est, quoniam falsum est, q multi humores mali modica crassitie etiam peccantes, non possint ita bene, immo & melius, & tutius per uenae sectionem, quàm per medicamentum purgans euacuari, cuius signum est, q praeter rationes superius adductas, in huiusmodi laborante praecipit Galenus euacuationē materiae, fieri p uenae sectionē, etiam si plenitudinis signa non adsint, non autem per purgans medicamentum, ut probatum est. Neque uerisimile est, quòd si talis euacuatio, melius fieri posset per medicamentum purgans, quàm per uenae sectionem, ita se determinasset Galenus ad uenae sectionem faciendam, ut non existentibus signis plenitudinis, eam potius praeciperet, ut praecipit, quàm purgans medicamentum.

Ad Quartam rationem Dico, quòd si Galenus de minorante medicamento nihil dixit, Ea sanè ratione fecit, quoniā in tali casu, minime conuenit medicamentū purgans in principio: Immo potius ipsum prohibet, ac eligit uenae sectionem, prius faciendam. Nec uerum est, quòd usus sit Aristotelis regula topica, Si de quo minus uidetur etc. Quoniam Galenus optimus erat dialecticus, & optime nouerat regulam hanc, tantum ualere in hijs, quae in aliquo conueniunt, non autem in hijs, quae non conueniunt in aliquo, quemadmodum in isto casu,

in quo in euacuatione talis materiæ, in principio conuenit sectio uenæ, non autem pharmaci purgantis exhibitio. Propterea ratio falsa est.

Ad Quintã, quòd Galenus in illis uerbis, Vt igitur tuta hijs allatio fiat utilissimum est corpus euacuare, utatur uerbo, κενῶσαι, hoc est, euacuare, non autem phlebotomare, Dico, quòd satis illi fuit, in modico uerborum spatio, bis, ter uẽ dicere, euacuationem fieri debere per sanguinis missionem:
„ Nam inquit, Inter has ætates, ubi robur ægro non deest, se-
„ canda uena est, etiam si plenitudinis signa non adsint. Ex quibus uerbis satis aperte intelligi poterat, euacuationem fieri debere, per uenæ sectionem: Nec tamen hijs contentus, ut melius ac clarius eius intentio intelligeretur, inferius etiam re-
„ petit, dicens, Haudquaquàm igitur differendum est, sangui
„ nis aliquid ita laborantium mittere, scilicet, tum ad uirtutis,
„ tum ad obstructionis modi portionem: Vbi uero modice euacua
„ ueris, haud multo post, aut nutrimentum aliquod, aut pharma
„ cum ex eis, quæ detergant exhibebis etc. Quid clarius desiderari potest, pro declaratione intentionis suæ, & eius, quod intelligit, per uerbum euacuare? nonne semper aperte declarat, quam uelit euacuationem fieri? quòd scilicet intelligit per euacuare, sanguinem mittere, quum paulo ante dixerit, mittendum esse sanguinem, postea ĩmediate subiungat, Vbi uero modice euacuaueris etc. Quid opus est quæso alia interprætatione, quum ipse tam aperte se declaret? Quare apertissime constat, Quomodo uir iste decipiatur.

Præterea declarauimus etiam superius, id ex obseruatione uerborum Galeni, facile cognosci posse: quoniã, Vbi uult euacuationem fieri per uenæ sectionem, uel aliquo alio præsidio, utitur uerbo, κενῶσαι simpliciter, quemadmodum in libro artis medicinalis, in capite de cõmunissima intentione curatiua: Vbi uero intendit fieri per medicamentũ purgans, utitur uerbo, κενῶσαι cum aliqua additione, ueluti κενῶσαι διὰ φαρμάκου καθαίροντος: uel utitur uerbo φαρμακεύειν, uel καθαίρειν, & hijs similibus. Quare stantibus hijs, dicta eius ratio, oppositum potius, quàm propositum probat.

Ad Vltimã, q Auicenna eandem Galeni sententiam sequutus est: Dico, hoc esse uerum, quoniam, & ipse in hoc casu, semper præponit sectionem uenæ, purgationi, quemadmodum etiam Galenus facit: Vnde propter hoc etiã magis destruitur opinio istius. Quòd si dicat Auicennam indistincte horum alterum intelligere: Dico, hoc esse falsum, quoniam non eo modo loquutus esset, quemadmodum semper facit, sed disiunctiue loquutus esset, & dixisset, Quum causa est multitudo humorum, & repletio, tunc oportet, ut in principio properes, uel ad phlebotomiam, uel ad euacuationem: Et non dixisset, ut dixit, Tunc opus est, ut in principio properes ad phlebotomiam, & euacuationem. Et idem paulo post repetit, dicens, Si autem non fuerit excusatio, tunc non oportet, ut postponatur, & tardetur phlebotomia, & euacuatio etc. Ex quibus patet, quòd & ipse semper præponit uenæ sectionem, euacuationi per pharmacum, sequutus Galeni sententiam.

*Quare adductæ rationes potius aduersantur opinioni huius, quàm faueant.*

SEPTIMVM ARGVMENTVM.



SEPTIMVM Eius argumentum, sumptũ est, ab imitatione naturę, Ratiocinatur enim sic: Authoritate Hippocratis & Galeni, medicus semper probas naturæ operationes imitari debet: sed sic est, q; natura plerunq; inter morborum initia, nulla præcedente concoctione, neq; urinis concoctis apparentibus, quando multa est malorum humorum copia, in aliquo laborante, & uirtus ualida, aliquam peccantium humorum quantitatem, aut per secessum, aut per uomitum, aut per sudorem, euacuat, & ad eam euacuationem alleuiatio sequitur: Ergo pari modo, poterit etiam medicus, qui naturæ imitator est, cum magna laborantium utilitate, malorum humorum abundantiam, inter morborum initia minorare, etiam q; nondum concoctionis notæ appareant, neque turgens etiam materia sit.

## SOLVTIO.



*AD HOC Argumentum dico, salua semper huius uiri pace, maiorem propositionẽ huius syllogismi multipliciter falsam esse, quoniam, Primo falsum est, quòd natura rectè operetur, quũ in morborũ principijs, nulla præcedente concoctione, aliquã peccantium*

*peccantium humorum quantitatem euacuat: Tunc enim uere dicimus naturam recte operari, quū materiam iam concoctā euacuat, non autem crudam: Concoctio nanq; naturæ opus est, causas morborum noxias superantis, & celeritatem iudicij, & certam salutem protendentis: Inconcoctio uero penitus ei opponitur, quemadmodum clare habetur ab Hippocrate & Galeno, in primo de morbis uulgaribus, sectione secunda, cōmen. xliiij. & xlv. Natura autem pro conseruatione bonorum humorum, semper solicita est: Iccirco, si ante materiæ concoctionem, humores expelleret, tam bonos, quàm malos expelleret, quum hij per concoctionem tantum secernantur, ac segregentur: Natura enim ipsos humores primo concoquit, postea secernit, ac demum expellit: Propterea si nulla præexistente concoctione natura humores euacuat, talis euacuatio, nunquàm dicetur recta naturæ operatio, si Galeno credimus in quarto præsertim aphorismorum cōmento. xxij.*

*Idem etiā ipse (licet incaute) fatetur, ubi conatur ꝓbare, tenues humores incoctos esse in morborū principijs: Ita inquit, Atq; ita cōstat, ꝙ a principio morbi materia ipsum faciens, nequaq; concocta esse possit, Quod etiam ex eo demonstratur, quia natura regulariter operans, nunquā in principijs morborum crisim facit, sed in statu, & quando materia concocta est, ut ipsa experientia edocet etc.*

*Secundo, falsum est etiam, ꝙ quum natura in morborum principijs, nulla præcedente concoctione, aliquam malorum humorum quantitatem euacuat, ad talem euacuationem sequa-*

tur alleuiatio: Nunquã enim talis euacuatio, spontanea dici poterit, ex qua iuuatur animal, sed potius dicetur symptomatica, ex qua nulla prouenit utilitas, teste Galeno tertio de Crisibus sexto, & decimo: Prima aphorismorum particula, cõmen. xij. & alibi sæpius: Sed præcipue, in cõmento secundi aphorismi quartæ particulæ, statim in principio, ubi habet,
„ Sponte euacuari e corpore dicimus, quæcunque sine eo, ꝙ medicus aliquid operetur, excernuntur, nonnunquã ea, quæ nostrum regit corpus natura, ipsum expurgante, nonnunquã ex irritamento aliquo, aut quia a uasis non contineantur: Quum igitur natura superfluum euacuat, iuuatur animal: Quũ uero alioquin excernitur, ratione symptomatis, neque inde utilitas ulla prouenit, & talis euacuatio, prauæ dispositionis est signum: Recte igitur Hippocrates consulit, imitari naturam, Est autem imitatio, ut in unoquoque morbo, tales humores euacuare tentemus, quales nouimus in spontinis prodesse euacuationibus etc. Si igitur propter multitudinem malorũ humorũ peccantium fiat euacuatio, nulla præcedente concoctione, signum est apertissimũ, ꝙ hoc aut ex irritamento prouenit, aut quoniã a uasis huiusmodi humores contineri nequeunt: Iccirco ex tali euacuatione, nulla prouenire potest utilitas, & talis euacuatio, prauæ dispositionis est signum: Euacuationes enim spontaneæ, & quæ recte a natura fiunt, & non ab alio casu, concoctionem humorum exposcunt, minime uero inconcoctionem. Propterea falsum est, ꝙ ad talem humorũ crudorũ euacuationem sequatur alleuiatio: quoniã (ut superius dictũ est)

*fieri nequit, ut in euacuatione malorũ humorũ non concoctorum, non euacuentur etiam boni humores admixti, qui ex sola coctione separantur a malis. Quare si cum crudorũ humorũ malorum copia, boni etiam euacuentur, Verosimile non est, ꝙ inde sequi possit utilitas, & alleuiatio, quũ ex bonorũ humorũ euacuatione debilitentur corpora. Ad hoc igitur, ut ex euacuatione sequatur alleuiatio, necesse est, ut mali humores euacuẽtur, & boni cõseruentur, quod fieri neq̃t, materia nõ cõcocta.*

*Quod si accidat, ut ex euacuatione aliqua, a natura facta, sequatur alleuiatio, & morbus soluatur, ut ipse asserit, & sæpe euenit, Dico tũc Tertio, falsum esse, ꝙ talis euacuatio facta fuerit nulla præexistente concoctione, ĩmo hoc argumento potius fatendum est, humores malos euacuatos a natura, segregatos fuisse, & per consequens concoctionem præcessisse, quũ aliter morbus hoc modo solui nequeat, teste Galeno tertio de Crisibus decimo: Et tunc recte operatam fuisse naturam dicimus, quum ipsa probe operando humores tantum concoctos euacuet, non autem crudos, ut probatum est: Et hanc quantum fieri potest debet medicus imitari.*

*Verũ concedatur huic etiam, (licet sit falsum,) & esto, ꝙ natura recte operetur, & in morborum initijs, nulla præcedente concoctione, neq; urinis concoctis apparentibus, (ut singula referam,) & multa sit malorũ humorũ copia, in aliquo laborante, & uirtute ualida existente, aliquam peccantium humorum quantitatem euacuet, quid tum? Concludendum ne erit quæso propter hoc, ꝙ eodem exemplo poterit etiam medi=*

*cus, qui naturæ imitator sit, cum magna laborantium utilitate, malorum humorum abundantiam, inter morborum initia, cum purgante medicamento minorare, nõ apparentibus concoctionis signis, neq; materia turgente? minime profectò mea quidẽ sententia: quoniã posito adhuc, quod in aliquo laborante, naturã imitando necesse sit humores ĩminuere, infinitis alijs, & conuenientioribus præsidijs id præstare poterit, absq; exhibitione purgãtis medicamẽti, ueluti sectione uenæ, cucurbitulis, clysteribus, prouocantibus uomitum, lotium, sudorem, hæmorrhoides, menses, & huiusmodi alijs auxilijs, quæ tum oportuna, tum conuenientissima sunt, quibus facile poterit peccantem materiam ĩminuere: Et cum huiusmodi præsidijs, probas naturæ operationes imitabitur, non aũt cũ purgantiũ medicamentorũ exhibitione, quæ quantũ nocumenti afferant, in morborũ principijs, materia nõ concocta, iã superius abunde demõstrauimus.*

*Quare, uel dicamus maiorẽ propositionem sui syllogismi falsam esse, uel non, nunquã tamẽ ex eo poterit concludere, materiã medicamento purgante minorandã esse, sicuti existimat.*

## OCTAVVM ARGVMENTVM.



CTAVVM Eius argumẽtum sumptum est, ex authoritate Aetii, & Auicennæ: Inquit enim, Hanc eandem opinionẽ sequutus etiam Aetius est: Nã in libro tertio, cap. xxiii. idem ait, quod Galenus dixit in libro, Quos purgare oportet etc. ,, quod uidelicet subtiles, & serosi humores, in principio morbi

statim educēdi sunt, & ꝙ cōcoctio in crassis, & uiscidis est ,,
expectanda, qualis & pituita est, & nigra bilis: Postea sub- ,,
iungit, Omninoq; in omnibus diuturnis morbis, ante ma- ,,
turationem, minime euacuabis, In acutis uero, quando ma- ,,
teriæ exuberauerint, in principio purgandum est. ,,

Idem etiam (inquit) uoluit Auicenna in quarta primi, capite primo, ubi ait, Ægritudo quoq; si multæ ebulientis ,, materiæ fuerit, in principio eam euacuabimus, nō expectan ,, tes maturationem, & si mediocris fuerit, maturabimus eam, ,, & postea euacuabimus. Idem etiam uoluit in quarta primi, capite tertio, ubi ait, Quum non fuerimus securi, ꝙ uirtus ,, usque ad maturationis horam perduret, materiam euacua- ,, bimus. Idem quoque confirmauit in prima quarti, in capite de cura putridarum in generali, ubi ait, Si times uictoriam ,, humoris, tunc magis necessaria cautella est euacuatio. ,,

## SOLVTIO.



*D HOC Argumentum Dico, ꝙ adducta authoritates non modo istius opinionem non probant, uerum potius ipsam destruunt: Quoniā authores isti, nunquā m uolunt in principijs morborum, purgantibus medicamentis utendum esse, nisi quū materia fuerit furiosa, Quæ reuera in principijs morborum, iuxta ea quæ superius a me dicta sunt, debet euacuari: Nec unquā m loquuti sunt de purgatione, quæ fieri debeat in principijs morborum, cum purgante medicamento, nisi loquantur in morbis factis a materia furiosa, quemadmodum ex eorū uer-*

*bis, si recte intelligantur clare potest patere. Nam luce clarius manifestum est, quod Aetius in loco adducto, secundū ueram græcorum uerborum interprætationem, de morbis loquitur, in quibus materia furiosa est, non autem in quibus materia abundat, ut ipse perperā uidetur interprætari, Nam*

» *inquit textus Græcus,* καὶ ἐπὶ πάντων δὲ τῶν χρονίων νοσημάτων, ἀεὶ
» τὸν πεπασμὸν ἀναμένειν χρὴ, ἐν δὲ τοῖς ὀξέσιν, ὅταν κεκίνηνται αἱ ὗλαι, καὶ κατ᾽
» ἀρχὰς φαρμακεύειν, πλὴν μετὰ εὐλαβείας πολλῆς, ἐν κινήσει γὰρ, καὶ φορᾷ, καὶ
» ῥύσει ὄντων τῶν χυμῶν, δέως μὴ πώς τι τῶν σπλάγχνων ἀσθενὲς φύσει ὑπάρ-
» χον, τὴν ὕλην κινηθεῖσαν ὑποδέξεται, καὶ μάλιστα ὁ θώραξ, τοὺς δὲ καθ᾽ ἕν τι
» μόριον ἐστηριγμένους χυμοὺς, οἷον ἐν ταῖς φλεγμοναῖς γίνονται τῶν σπλάγχνων,
» οὐ χρὴ φαρμακεύειν, πρὶν πεφθῆναι *etc. Quæ uerba si in latinum ser-*
» *monem uertantur, talem habent significationem: Et in omni-*
» *bus quidem diuturnis morbis semper concoctionem expectare*
» *oportet: In acutis uero, quum in motu materiæ fuerint, in prin*
» *cipio etiam medicamentis purgato, Verum cum multa cautio-*
» *ne: Quū enim humores agitentur, turgeantq́ue, ac influxu sint,*
» *timendum est, ne aliquod uiscerum, quod natura imbecillum sit,*
» *materiam motam excipiat, & præcipue thorax: Humores*
» *uero, qui in aliqua parte firmati sunt, ueluti in uiscerum inflā-*
» *matione contingit, medicamentis purgare non licet, priusquā*
» *concocti fuerint etc.* *Ex quibus uerbis clarissime patet Aetium idem sentire, quod & Hippocrates & Galenus, In morbis .s. acutis, nunquā purgantibus medicamentis in morborum principijs utendum esse, nisi quando materiæ mouentur, & in fluxu sint, quod idem significat, quod apud Hippocratem &*

*Galenũ, quãdo materiæ ſirioſæ fuerint, quoniam (ut ſæpius dictum eſt) Galenus materiam furioſam eam appellat, quæ mouetur uerſus loca expulſionis. Nec illud uerbum, κεκίνηνται, illud unquã recte ſignificare poteſt, quod ipſe interpretatur, hoc eſt, exuberauerint, non enim illud uerbum ſignificat exuberare, ſed mouere: Iccirco uerti debet, quũ materiæ fuerint cõmotæ, non autem quũ exuberauerint. Quod autem negari non poſſit, quin de materia furioſa loquatur, uerba etiam, quæ ſequuntur, manifeſte declarant, quũ dicat, ꝙ & ſi in principio, quando materiæ fuerint in motu, purgantibus medicamentis utendum ſit, ſubiungit, ꝙ hoc non ita temere, ſed cum magna præmeditatione, & cautella faciendum eſt: Quoniam (inquit) timendum eſt, ut quũ humores ſint in motu, turgeant, ac fluant, materia ipſa mota ab aliqua parte debili excipiatur, maximeq́; a thorace: Quod ſi iam fluxerit, & in aliqua parte firmata ſit, Eam amplius medicamento purgare non licet, antequã concoquatur. Non'ne hæc ſunt uerba, quibus ſemper utitur Galenus, quando loquitur de materia furioſa? Cui dubium? Quis igitur adeo impudens erit, ut neget Aetium, in loco adducto, de materia furioſa tantum uerba facere, & in acuto morbo ſolum, in quo materia furioſa eſt, in principio purgantibus medicamentis utendum eſſe præcipere? nemo profectò.*

*Quum igitur Aetius, adeo aperte de materia furioſa loquatur, ut probatum eſt, quid falſo adducenda eſt eius authoritas, ad probandum, ꝙ in morborum principijs, ubi ma-*

teria non turgeat, nec ſit concocta, ſed exuberauerit, medica mentis purgantibus uti liceat? quum Aetius ipſe, eo in loco, totum oppoſitum dicat, ac uelit illud tantum in materia furioſa faciendum, quemadmodum & Hippocrates & Galenus.

Ad authoritates uero Auicenæ, & Primo ad primã in quarta primi, capite primo, Dico ſimiliter, quod ibi etiam loquitur Auicenna, de morbis factis a materia furioſa, & pro ebullientem materiam, debemus corrigere, materiam furioſam, quemadmodum recte tranſtulit, & correxit Belunenſis doctiſſimus, & Arabicæ linguæ fidiſſimus Interpres. Nec rationes in contrarium allatæ tantillum quidem roboris habent, quoniam non eo modo intelligendus eſt Auicenna, quẽ admodum ipſe exiſtimat, quod ſcilicet uelit illam, a principio morbi, non expectata concoctione, ubi multa ſit, euacuandam eſſe: Vbi uero mediocris fuerit in quantitate, concoquendam eſſe prius, & poſtea euacuandam: quoniam iſta non eſt mens Auicennæ, nec ſecundum eius doctrinam poteſt hoc modo intelligi: Sed intelligendus eſt, quod Vbi materia ſit ualde furioſa, illam a principio morbi, non expectata concoctione, euacuare debemus: Loquitur enim de qualitate materiæ, non autem de quantitate, ut inferius etiam clarius declarabo: Similiter, quãdo dicit, Vbi uero fuerit mediocris etc. Intelligendus eſt, Vbi erit mediocriter furioſa, adeo ut detur facultas cõcoquendi eã, maturari debet, & poſtea euacuari. Et quod hæc ſit eius ſententia, patet ex alijs eius locis, locus enim locum aperit: Nam eandem habet ſententiam, ſed adhuc clariorem, in

quarta

*quarta primi, capite tertio: Et in prima quarti, in capite de Cura febrium putridarum, ubi in utrisq; locis, de materia furiosa apertissime loquutur: In capite enim de Cura febrium putridarum ait, Quum autem materia est plurima mobilis, ,, permutabilis de membro ad membrum, & existimas, quod non ,, est spatium in digestione eius, aut fortasse accidit ex ea aposte= ,, ma pleureticum, & aliud, si dimittatur faciet cadere in timo= ,, rem ante tempus, in quo expectatur digestio, aqualis procul ,, dubio, tunc est necessaria euacuatio eius etc. Postea inquit, Et ,, similiter, si times uictoriam humoris, magis necessaria cautel= ,, la est euacuatio, & si non est digestus, non moueas, nisi in ,, principio, apud statum uero, non moueas aliquid, donec uin= ,, cat natura, & digerat: Et hoc est illud, quod nominauit Hip= ,, pocrates, furiositatem, ubi dixit, Oportet, ut administretur ,, medicina solutiua, postquā digeritur ægritudo, In principio ,, autem ægritudinis, non oportet, ut administretur illud, nisi ,, ægritudo sit furiosa, & forsan non est secundum plurimum ,, furiosa, & talis est ista euacuatio necessaria, quæ non est in ,, hora sua etc. Ecce quomodo hic Auicenna tam aperte loqui= tur, ut negari non possit, quin de euacuatione, quæ fieri debet in morbo facto a materia furiosa loquatur. Et hæc est decla= ratio illius, quod dixerat, scilicet, quod si ægritudo fuerit cum materia multum furiosa, & non habuerimus spacium dige= rendi materiam, & timeamus uictoriam humoris, tunc eua= cuatio necessaria est, Iccirco in principio eam euacuabimus, non expectantes maturationem: Si uero materia non sit ita*

M

furiosa, sed mediocriter turgeat, ut possimus arripere occasionem digerendi eam, tunc melius est expectare concoctionem materiæ, & postea euacuare: Et hæc est eius uera sententia, quoniam nunquã uult Auicenna, materiam crudã euacuari in principio morbi, nisi sit furiosa, quemadmodum & Hippocrates & Galenus: nam in eodem capite, de Cura febrium putridarum, negat omnino materiam indigestam euacuandam esse, quum dicat, Et quum administraueris canones prædictos in principio accidentium febris, tunc oportet post illud, ut tu occuperis in digestione, & euacuatione, quæ non est secundum semitam minorationis, & lenificationis: Et iam diximus eam, immo secundum semitam abscisionis causæ: Et non euacues materiam indigestam, in calido, aut frigido, nisi propter necessitatem, (scilicet quando materia fuerit furiosa:) Fortasse enim multiplicatur euacuatio etc. Item in capite de Cura phlegmaticæ, inquit, Ego uero non diligo nisi expectationem digestionis. Similiter, in quarta primi, capite tertio, ad sciendum qualiter, & quando oportet euacuari, inquit, Et tu iam scivisti, quid sit maturatio, & antequã euacues, post maturationem, ex subtiliatiuis in potu tribuere debes, sicut aquam Hyssopi, & Hasce, & Seminum: Sed & in acutis ægritudinibus maturationem expectare melius est, & præcipue, quum quietæ fuerint: Quòd si mobiles fuerint, tunc ad euacuandam materiam festinare erit melius etc. Quum autem humor in uno fuerit membro comprehensus, nullo modo moueatur, donec maturetur etc. Et similiter, quum non fueri-

*mus securi, q̃ uirtus usque ad maturitatis horam perduret, ,, euacuabimus eam etc. ,,*

*Sententia igitur Auicennæ clara est, q̃ nunquã uult, materiam in morborum principijs euacuari, nisi concocta fuerit, aut furiosa: quoniam clarum est, quòd in omnibus hijs locis, ubi materiam mobilem appellat, de materia furiosa loquitur, quã dicit protinus euacuandam, In alijs uero ægritudinibus, ubi materia fuerit quieta, & non turgeat, semper maturationem expectandam esse. Propterea non est dicendum, quòd in loco per eum adducto, non loquatur de materia furiosa: Sed de ea tantum, quæ multitudine, & mala qualitate peccat, & cum hoc non est furiosa: quoniam si hoc esset uerum, præter id, quòd contradiceret Hippocrati & Galeno, quorum interpres esse ait, sibi ipsi etiam contradiceret, quod non est dicendum. Iccirco fatendum est, Auicennam loco adducto, Eodem modo loqui de materia furiosa, quemadmodùm in alijs superius adductis eius locis: Et quod in uno loco dixit, multæ furiosæ, siue ebullictis materiæ, In alijs dicit, mobilis, uel plurima mobilis, & permutabilis de membro ad membrum.*

*Quod autem in hijs locis, intelligat Auicenna de qualitate materiæ potissimum, non autem de quantitate, facile potest patere, tum ex hijs, quæ superius dicta sunt, tum quia etiam, si potissimum intellexisset de quantitate materiæ, copulatiue loquutus esset, & hoc modo dixisset, Ægritudo quoque, si multæ, & furiosæ materiæ fuerit etc. Non autem dixisset, sine copula, multæ furiosæ, quod idem est, ac si dixisset, mul-*

tum furiosæ: Eodem modo ubi dicit, Quum materia est plurima mobilis, si intellexisset de quantitate, copulatiue dixisset, plurima & mobilis: Sed dixit plurima mobilis, ac si dixisset, plurimum mobilis, idest ualde furiosæ. Et fortasse, is fuit error interpretis, qui ita barbare transtulit.

Quod si concedamus etiam, Auicennam hoc modo loquutum esse, ut intelligeret, & de quantitate, & qualitate, possemus dicere, quod hoc modo loquutus est Auicenna, quoniam mala qualitas non potest plurimum nocere, sine sua debita quantitate: Ideo hoc explicare uolens, ita loquutus est. Sed quomodocunque dicatur, hoc potius referendum est ad qualitatem, scilicet ad materiæ furiositatem, quam ad eius quantitatem: Quanuis (ut dixi) hoc etiam nihil referat, si etiam ad quantitatem referatur, dum modo fateamur, (quem admodum fatendum est, & negari non potest,) ipsum loqui de morbo dependente a materia furiosa, ratione cuius præcipit, in principio faciendam euacuationem. Et ideo ratio in contrarium adducta, nihil ualet: quoniam, si adeo mediocris, seu mediocriter fuerit materia furiosa, ut possit expectari concoctio, prius debemus concoquere, & postea euacuare: Et hoc est illud, quod dicit Galenus, in libello, Quos purgare oportet etc. Et similiter, in cōmento illius aphorismi, In acutis passionibus raro etc. Vbi examinans (ut sæpe dictum est) cur Hippocrates dixerit, raro medicamentis utendum in acutis morbis, Et hoc cum præmeditatione, quoniam inquit, Siue per
„ hoc uerbum diligentem intelligat examinationem, siue ægroti

præparamentum, siue recti uditij expectationem, siue horum ,,
aliquid, siue omnia unius uocabuli significatione comprehen= ,,
dantur, quantum huiusmodi uereatur purgationes manifestat; ,,
Iccirco oportet considerare, an æger idonee se habeat ad hu= ,,
iusmodi purgationes, ut puta, si multa cruditate laboret, aut ,,
humores crassos habeat, si ilia sint extenta, aut supra modum ,,
calida, si sit aliqua uiscerum inflammatio, quoniam omnes hij ,,
inepti sunt ad purgationes. Hæc itaque (inquit) abesse opor= ,,
tet etc. Postea subiungit, Verũ in acutis morbis, circa princi ,,
pia statim, circa primũ uidelicet diẽ, uel nõ ultra secundũ, si ,,
sumus usuri purgantibus medicamentis, quando turgent, non ,,
datur facultas ista præparandi, nisi quis forte arripiat occa ,,
sionem propinandi melicratum etc. Et hoc scilicet esse non po=
test, nisi quando materia non fuerit ualde furiosa, & spera=
mus uictoriam naturæ supra morbum: quoniam si esset mate=
ria ualde furiosa, & timeremus de uictoria morbi, quemad=
modum accidit in morbis ualde acutis, Tunc non possemus ar=
ripere occasionem propinandi aliquid, pro eius concoctione:
Sed statim educenda esset, uel tota, uel pars, secundum patien
tis tolerantiam, ut dictum est. Quapropter nihil obstat, quin
possimus dicere, ꝙ tota hæc sententia possit ad materiam fu=
riosam referri, quum falsum sit, ꝙ quum materia mediocriter
turgeat, siue sit hoc in quantitate, siue in qualitate, nullo pacto
ueniat concoquenda, quum oppositum ex sententia Galeni de=
claratum sit: Intelligendo tamen concoctionem ut superius di=
ctum est, pro præparatione ad purgationem, crassos humores

*extenuando, atque incidendo, & meatus aperiendo, ut purgatio in omnibus recte procedat, ut declaratur aphorismo nono secundæ particulæ: Idemq; uideatur sentire Auicenna, in quarta primi, capite tertio, superius adducto, Vbi pro maturatione morbi, ordinat aquam Hyssopi, & Thymi, & Seminum calidorum, sequutus Galeni sententiam, qui (ut dictum est) pro huius morbi concoctione, accipit melicratum, in quo decoctum sit aliquid Hyssopi, uel Origani, uel Tragorigani, uel Thymi, uel Pulegij, uel quid huiusmodi uim habens humores extenuãdi. Et licet Galenus in decimo aphorismo quartæ particulæ dicat ex Hippocratis sententia, quòd quando materia turget in morbis ualde acutis, statim per medicamentum euacuationem faciendam, Istud optime ab eo dictum est, quoniam tunc Galenus intelligit, id faciendum esse secundum aphorismi sententiam, in morbis ualde acutis, quando materia turget, quoniam in huiusmodi morbis ualde acutis, seu per acutis, Quorum iudicationis terminus est prima septimana, materia non potest mediocriter turgere, quum in talibus magno impetu moueatur, nec detur spatium eam digerendi. Secus autem est in acutis simpliciter, in quibus materia nõ adeo subtilis existens, potest mitiori motu moueri, quũ eorũ terminus saltem ad quartumdecimum usque diem perueniat, Quo tempore datur facultas, ut materia possit aliquo modo extenuari, & concoqui, & meatus aperiri, ut facilior fiat humorũ trãsitus.*

*Ad aliam autem rationem, quam adducit, quòd scilicet si materia furiosa aliquo tempore concoquenda esset, erraui s-*

sent omnes medicinæ Doctores, qui ubiq; imperant, materiam furiosam esse protinus educendam, neque alicubi de concoctione ipsius mentionem fecere. Dico rationem hanc satisq; superq; iam solutam fuisse, quum superius abunde demonstratum sit per me, quomodo concoquendam esse materiam furiosam intelligatur, quandoquidem dictum est, quòd materia furiosa aliquando quidem nulla expectata concoctione protinus medicamentis purgantibus, aut per sanguinis missionem euacuanda sit, siue tota, siue pars, iuxta laborantis tolerantiam: Quòd si eueniat, quòd propter imbecillitatem uirium, uel aliam ob causam, tota non educatur, minorem tamen iam factam natura facilius concoquit, & excernit, non amplius ut furiosam, sed potius ut crudam: Aliquando uero materia furiosa, (præcipueq; quũ dat inducias) concoquenda sit, ut Galenus apertissime præcipit in utrisq; locis a me superius adductis, melicrato, in quo decoctum sit aliquid facultatem habens humores extenuandi. Quare non est dicendum, quòd medicinæ doctores nullibi de concoctione materiæ furiosæ mentionem fecere; quoniam hoc apertissime falsum est, ut demonstrauimus.

Ad alias uero authoritates Auicennæ, satis patent solutiones ex superius dictis, quoniam in omnibus illis locis adductis, (ut probatum est) loquitur Auicenna, de morbis a materia furiosa prouenientibus, nec unquàm licet in eius libris inuenire, quòd dicat in alijs morbis euacuationem fieri debere, medicamentis purgantibus, in principio morbi, materia non concocta, neque turgente: Immo totum oppositum præcu-

*ple, & in omnibus eius curationibus, ubi morbi materiam curat, hunc curandi modum seruat, ut nunquam medicamenta purgantia exhibeat, in morbi principio, nisi materia concocta, aut turgente. Quare etc.*

## NONVM ARGVMENTVM.



VLTIMO Præter authoritates, & rationes superius adductas, ponit etiam alias quasdã eius rationes, ad idem probandum, Quarum prima talis est.

Certum est (inquit,) quòd minor humorum quantitas (cæteris paribus) facilius semper a natura superatur, atq; corrigitur, quàm si maior ea sit, ac propterea, vbi morbi a multa tenui aliqua materia, aut quæ non ad modum crassa, aut viscida sit, generationem habeant, prout in febribus putridis a bile ortis, ut in pluribus euenit, si illa inter initia minoretur, redditur natura potentior supra residuum: Ita ut ipsum, & facilius concoquat, & promptius etiam excernat, ut Galenus uoluit undecimo de ratione medendi, capite quintodecimo. Quare ex hoc facile concludi potest, quòd humores nimia quantitate, ac mala qualitate peccantes, dato, quòd neq; concocti sint, neque etiam turgentes, cum purgante medicamento sunt minorandi.

*SOLVTIO.*

# SOLVTIO.



NON Possum profectò non maxima huius uiri admiratione affici, quod eas rationes in medium afferat, quæ positioni suæ penitus opposita sint. Quòd enim minor humorum quantitas (cæteris paribus) facilius semper a natura superetur, quàm si maior ea sit, Cui dubium? Omnes enim hoc fatentur: Sed quod debeat humorum quantitas, medicamentis purgantibus, In principio morbi, non concocta materia, neque turgente euacuari, hoc non modo per eius adductas rationes non probatur, sed totum potius oppositum concluditur: Nam per authoritatem Galeni ab eo adductã, in undecimo de methodo medendi, cap. xv. apertissime constat, talem euacuationem fieri debere per uenæ sectionem, non autem per medicamenta purgantia. Nec ualet eius interpretatio, quod ibi Galenus principaliter agat de febre synocha, in qua quum sanguis male sit affectus, & ab eo etiam huiusmodi febris fiat, maxime uerificatur in ea, Galeni sententia, quum nullum accõmodatius remedium excogitari posit, pro minoranda dictæ febris materia, quàm sit uenæ sectio: Secus autem sit in alijs febribus, ab humorum putredine prouenientibus, in quibus longe melius per purgantia medicamenta minorari materia potest etc.

Mira profectò, & præter omnem expectationem noua uidetur hæc interpretatio, ut euacuationem, quam præcipit Galenus fieri debere per sanguinis missionem, in omnibus

*febribus, quas putrescens humor concitat, intelligendum sit tantum de synocha febre: In alijs uero febribus ab humorum putredine factis, intelligendum sit fieri debere per purgantia medicamenta, ubi præsertim materia non fuerit concocta: Hæc profectò uidetur noua doctrina. Nam præter id, q Galenus in eo loco, non tantum in synochis febribus illud protulit, uerum uniuersaliter in omnibus alijs febribus, ex humorum putredine genitis faciendum præcipit, quemadmodum uerba ipsa apertissime declarant, quæ adeo clara, & aperta sunt, ut nulla prorsus indigeant interpratatione: Hoc idem etiam, & clarius adhuc, in eodem undecimo de ratione medendi, capite tertiodecimo, & quartodecimo declarauit: Ibi enim postq̃ capite tertiodecimo dixerat, q septem præter naturam posita sunt, a quibus indicationes sumuntur, humorum scilicet multitudo, crassitudo, lentor, obstructio, transpirationis retentio, putredo, & febris carens intermissione, quæ contraria omnino esse adhibenda docent: Præterea ab hijs etiam, quæ secundũ naturam se habent positæ sunt indicationes, quæ non contrariorum, sed similium sunt, omnesq; has indicationes inspicere medicum decere dixit, Quo scilicet intelligat, Quonam primum, ac magis, Quonam minus, & secundo, Quonã adhuc & tertio, atque deinceps Quo præsidio sit utendum, Postea*
*„ subiungit in principio capitis quartidecimi, Quippe si uires*
*„ eius, qui ex putredine humorum (ut positum est) febricitat,*
*„ ualentes sint, mittendus statim sanguis est, si cruditas uentris*
*„ non adsit, statim morbo incipiente etc. Quid clarius? non ne*

*loquitur de febribus ex putredine humorum ortis, in quibus asserit mittendum statim esse sanguinem, non autem medicamentis purgantibus euacuandos humores esse: Immo sanguinis etiã missionem uidetur ĩprobare, si cruditas uentris adsit. Si igitur existente cruditate, sanguinis etiam missionem prohibet, quanto magis credendum est, ipsum medicamenta purgantia prohibere, ex quorum exhibitione tanta, ac talia proueniunt incõmoda, qualia ab eo enumerantur, ut superius dictũ est.*

*Adde, ꝙ nullibi unquàm poterit is inuenire apud Galenum, ꝙ in curatione alicuius febris, quæ ex humorum putredine ortum habeat, præcipiat Galenus, euacuationem fieri debere, per uentris eductionem, cum medicamento purgante, in morbi principio, materia non concocta, nisi fortasse turgente, & habente raptũ ad inferiora. In alijs uero casibus, nunquã: sed per uenæ tantum sectionem, si conditiones mittendi sanguinis adsint, sin minus, alijs utendum præsidijs iubet, ut Vomitibus, Clysteribus, prouocantibus Vrinam, Sudorem, & similibus, quemadmodum unusquisque ex se potest uidere.*

*Quod autem longe melius per purgantia medicamenta minorari possit materia, quàm per uenæ sectionem, satis a me superius reprobatum est. Hoc tantum uidetur etiam hoc loco repetendum, ꝙ si uerum esset, ꝙ in febribus putridis materia deberet minorari, & melius minoraretur per medicamenta purgantia, quàm per uenæ sectionem, maxime repræhendendus esset Galenus, qui semper præceperit euacuationem in huiusmodi febribus fieri debere per uenæ sectionem, aut aliquo*

*Si uero materia non facit morbum, sed in posterum esset factura, nisi euacuaretur, aut multitudine tantum peccat, aut mala tantum qualitate.*

*Quando igitur materia multitudine tantum peccat, per sanguinis missionem protinus educenda est, consentientibus (ut dictum est) conditionibus debitis.*

*Quando uero mala qualitate peccat, tunc in principio, aliquo leniente, accõmodato medicamento, (apparentibus tamen signis aliquibus concoctionis) euacuandũ est corpus. Quòd si signa omnimodæ cruditatis materiæ uideantur, nullis prorsus medicamentis mouenda est, priusquàm concoquatur: Quam concoctam si natura sponte non excernit, medicamentis conuenientibus debemus euacuare.*

*Hæc igitur mihi uidentur totius euacuationis materiæ secundum Hippocratis & Galeni dogmata facilis, ac cõpendiosa regula, Quam unusquisque qui se optimũ rei medicæ professorem, ac Hippocratis & Galeni sectatorem profitetur, obseruare debet.*

*Hæc sunt Hieronyme Mag. quæ in præsentia (ut tuis paream mandatis) in hac materia mihi dicenda existimaui: In quibus, si satis tibi fecero, Deo optimo, Maximo, gratias semper agam, Qui me nullis meis meritis, sed sola eius liberalitate, ac munificentia ingenium meum qualecunque sit, ad hanc cognoscendam, tibiq; declarandam ueritatem perduxerit. Vale, & me, ut soles, ama. Ex suburbio nostro Bugatiorum, Pridie Idus Nouembris. M. D. XLVII.*

*FINIS.*




*Patauij In Officina Fabriana*

*Iacobus Excudebat.*

*M. D. L.*



